5

Q. F. F. S!

Diſputatio Inauguralis Medica
DE
AFFECTIONE MARMOREA,
CONSENSU
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN ALMA ELECTORALI VIADRINA,
PRÆSIDE
DECANO SPECTABILI,
DNO IRENÆO VEHR,
Med. Doct. ejuſdemq; Profeſſ. Publ. Primarió longè Celeberrimo, Archiatro Electorali Brandenb. Splendidiſſimo, Facultatis ſuæ Seniore Graviſſimo,
DOMINO PATRONO & PROMOTORE
Omni Obſervantiâ colendo,
PRO LICENTIA
Doctorales in Medicinâ Honores
ritè impetrandi,
Publico & Solenni Examini ſubmittetur
à
WILH. HENRICO NEHMITZ,
BEROLINENSI MARCHICO,
Ad diem Martii, Anno M. DC. XCVIII.
In Auditorio Majori, Horis Ante- & Pomeridianis.

Francofurti ad Viadrum Typis, Johannis Cœpſelii, *Academ. Typogr.*

DISPUTATIONIS INAUGURALIS. DE *AFFECTIONE MARMOREA*,

§. I.

MOmentum ſimul & Argumentum conſtantis Corporis Sanitatis præcipuum in eô eſſe, ſi quis & benè ingerat, & benè digerat, egeratqve benè; ex tritô Medicorum Sermone, quô valentem vigentemque Hominem deſignant, non malè colligitur. Etenim cùm Vita, præſertim ſana, & Nutritio pari paſſu ambulent; nutriri ſanè, & hinc vivere ac valere Hominem, uti Functionibus his negatis impoſſibile, impeditisque difficile eſt: Ita, conſtantibus illis, feliciter contingit. Eſtque ea earundem inter ſe Connexio; ut, quemadmodum Integritatis ſibi ſuæ Cauſæ ad invicem ferè, cum rectè comparatæ ſunt, exiſtunt: Ita aut intercidere aut abeſſe, in Homine natô, ſine

cæterarum detrimentô, vix ulla poſſit: Poſſitque adeò nec Nutritio congruè fieri, nec conſtare Vita & Valetudo, quâcunque iſtarum, ſive ſuſpenſâ aliquandiu, ſive ceſſante diutiùs, ſive abſente penitùs. Hoc cum facilè quà *Digeſtionem*, (quam primam potiſſimùm, atque adeò illam, quæ Chyficationis nomine communiter venit, intelligere hîc convenit; tametſi in reliquas etiam, quæ ad hanc ſeqvuntur, non malè congruant, quæ dicta ſunt:) perſuaderi quibusvis poſſe exiſtimem: Siquidem Vitium Concoctionis primæ non corrigi in ſecundâ vel tertiâ, jam pridem confeſſæ Veritatis eſt: De *Ingeſtione* (qua Cibi potusque & Appetitus & uſus, nempe Aſſumptio per Os, & Maſticatio ac Deglutitio prompta, imprimis inſinuatur; utut & Aëris ambientis Liberam Inſpirationem ſub eâ comprehendere poſſis:) pariter veriſſimè teneri: Nec minùs de *Egeſtione* ſeu Excretione (alvinarum præcipuè Fœcum & Urinæ; quamvis & aliorum Excernendorum decentem, per convenientes Meatus, Excluſionem, ſub eâ complecti liceat:) rectiſſimè aſſeri, haud difficulter oſtendi poteſt. Non eſt tamen de *illâ* hic dicendi ſive Locus ſive Animus. Quem ſi applicare huic negotio vellem, de longis monſtroſisque, quæ paſſim, non ſine impoſturâ, celebrata ſunt, Jejuniis; deque fictis, præter Os, aliis exhibendi alimenti Locis: ampliſſimum tractandi Campum aperire ſe mihi adverto. De quibus interim, qui volet, concinnè quædam tradita reperiet à *BERNHARDO SWALVE In Querel. & Opprobr. Ventric. pag. 74 & ſeq.*; plura reperturus, ſi

&

& Autores inibi citatos adire placuerit, & conferre, quæ doctis, *ad Sachſium Ao. 1671. d. 1. Aug.* *datis*, Literis, *à GEORGIO HIERONYMO WELSCHIO* ſcripta, atq; *Ephem. Germ. Curioſ. Decad. 1. Ann. 3.* ſub *Obſerv. 35.* inſerta ſunt. At verò quanto cum Valetudinis non tantum Diſpendiô, ſed & Vitæ præſentaneô Periculô, *Egeſtio* illa *utraque*, quæ *Seceſſionis* aliàs ſeu *Dejectionis & Mictionis* nomine venit, ſive cohibeatur, ſive deficiat; indicare hôc locô paucis, non alienum fuerit à Scopô, ad quem contendo.

§. II. Notabiliter, quà priorem, Magnus noſter *Hippocrates 6. Epidem. Sect. 3. v 3.* Ἡ κοιλίης νάρκωσις, ſcribit, Ἡ τῶν ἄλλων σύγχυσις, ἡ τῶν ἀγγείων ἀκαθαρσίη. i. e. *Ventris torpor omnium Conturbationem & Vaſorum Impuritatem adfert.* Nimirum, protractâ ultra Tempus, Hominis cujusq; Conſtitutioni naturali commodum, Excrementorum alvinorum evacuatione; Non tantùm nullis fere Corporis functionibus ſuam conſtare Integritatem, atque Omnia adeò in Oeconomiâ animali confusè agi: ſed &, fœculentis variis Portionibus, quæ emigrare tempeſtivè per ſeceſſum debebant, juſtô diutiùs in Ventre retentis; datâque adeò, longioris moræ, occaſione in Sangvinis receptacula penetrantibus; (id quod per Vaſa lactea Meſenterica & Thoracica fieri potiſſimùm, hodiè novimus) nobiliſſimi hujus Humoris puritatem perdi: Morbisque conſequenter & multis & magnis fores aperiri patentiſſimas, doctiſſimus Vir indicat. Dico: ultra Tempus, cujusque Conſtitutioni naturali commodum. Etenim, docente *CASPARO HOFFMANNO*, *Inſtit. Medic.*

Lib.3. cap.74. §.5. *animadverſione opus eſt, quando verè adſtricta Alvus*, atque Egeſtio proinde per illam. p. n. conſtituta, *dicatur? Cum enim magna ſit hîc Latitudo, quod quidam ſingulis Diebus ſemel, quidam bis, quidam non niſi alterò Die, quidam non niſi tertiô*, commodè *exonerent alvum: Si horum quid mutetur, tum demum eſt Morbus*: & hinc Morbi plures pariter atque varii; ex dictâ maximi *Coi* ſententiâ. Qvam qvomodo unô ore profiteatur ampliſſimus Virorum Apollineorum Senatus, ſi collectis ſingulorum Teſtimoniis oſtendere inſtituam, vereor, ne propoſiti Limites tranſcendens, Volumen potius, quàm Theſes aliquot Lectori exhibeam. Sit unum itaque inſtar omnium; quod, totidem ferè verbis locô non unô lectum, ex doctâ *Diſſertatione Walburgianâ, de Alvi adſtrict. Jenæ Ao. 1674. habitâ*, placet adſcribere: Γαϛὴρ, dicitur Ibidem, partim in *Proœmio cap.1.*, partim „*cap. 9.* πολλὰ κάκ' ἀνθρώποισι δίδωσι, *i.e. Hominibus* „*venter multorum cauſa malorum eſt*: haud incommodè „dixiſſe videtur magniloqvus vates Homerus. Idque „confirmat Plinius, Rerum naturalium. Autor ſcientiſſi„mus, dicens: *Plurimum homini negotii alvus exhibet.* Et„enim ex hâc p. n. ſe habente, multa morborum Ilias Sa„nis; Ægris, Convaleſcentibus, Infantibus præſertim, Se„nibus & Puerperis, copioſo ſuccreſcit proventu. Spe„ciatim omnis Adſtrictio alvi Pandoræ quædam pyxis „eſt, ex quâ innumeræ ferè propullulant atque foventur „Ægritudines Capitis, Medii ac infimi Ventris. Inteſti„na ſiquidem, quoties muneri ſuo minùs vacant, atque „retorrida Excrementa juſto diutiùs retinent, tetros ha„litus, fœdosque humores ad hepar, Diaphragma, Cor, „Pulmones & aliàs partes mittunt, ipſumque ſacræ men„tis Palladium deturbant. Hinc Cephalalgia, tenebrico-

ſa

„ſa Vertigo, ſuſurrans aurium tinnitus, cum omni Ca„tarrhorum genere, qui in Pulmones cœteraſque de„pluunt partes: hinc difficilior reſpiratio: hinc immo„derata ac vehemens Cordis concuſſio, quam Palpitatio„nem dicimus: hinc ejus anxietas & dolor: hinc Ven„triculi Inflatio; Cardialgia, Vomitus, Singultus, Sitis; „hinc Lienis affectiones, Hypochondriorum obſtructio„nes, & quæ ſexcenta alia ſunt Mala. Cujus aſſerti Veritatem, quamvis quotidiana Experientia, obviis paſſim Exemplis, quemvis, ad ſuas æque ac aliorum Res paulò attentiorem, abunde docere poſſit; Ut paucos dari Morbos, qui non aut natalium ſuorum, aut incrementi partem immorigeræ Alvo debeant; aliquos vero adeò ab hâc Causâ, & quaſi in ſolidum pendere, ut ceſſante Ventris ſegnitie, ceſſent ipſi protinùs; prohibitâ, procul abſint; facilè intelligatur: Lubet tamen in confirmationem illius afferre hôc locô non nulla, Morbosq; non tantùm aliquot inſignes, à Dejectione Læsâ ortos, ſed & Mortes, ab eâdem negatâ illatas, commemorare.

§. III. Inter Capitis Affectus, *Cephalalgiam* atrocem cum Viriũ debilitate & Vigiliis perpetuis, Corporisque einquietudine magnâ, â Torpore Ventris contigiſſe, ſalubri *Conſiliô, gravidæ cuidam in maximô Capitis Dolore & adſtrictione alvi datô*, inſinuavit *FRANCISCUS HILDESHEIM*, *Spicileg. de Morb. Cap. pag.* 67. Similiter Capitis Dolorem & *Vertiginem* ex eôdem fonte manaſſe *SCHENCKIUS Obſ. Lib.* 1. *pag.* 163. tradidit; perinde ut *MERCURIALIS Tom.* 1. *Conſult.* 107. *Nihil eſſe*, dixit, *quod æquè Caput afficiat, & Vertiginoſis Affectibus occaſionem præbeat, ac fœces in Inteſtinis diu retentæ. Memoriæ Debilitatem* ex eâpſe radice natam

tam loquitur *TH. MERMANN. Lib. III. Conſult. Med. 25.* *Vomitum bilioſum Febremq; malignam* ab impeditâ alvo in ſexagenariâ Muliere Germanâ, Patavii obſervavit *CASP. BARTHOLINUS* notavitqve in ſchedis ſuis; referente Filio *TH. BARTHOL. Cent. 6. hiſt. 38.* Nobilem, qvi perpetuô laborabat *Catarrho*, ex ſolâ alvi adſtrictione, novit *HERCULES SAXONIA*; citante *SCHNEIDERO Lib. IV. de Catarrh. Sect. 1. cap. 4. pag. 28.*: Ubi ſuum ſimul & *Hollerii* ac *Bauderonii*, de acceleratione Catarrhi per alvum adſtrictam, judicium exponit. Apud *PANAROLUM Pentecoſte. tertiâ Obſ. 28.* Juvenis quidam dives, lætus aliàs & optimâ ſanitate præditus, producitur, qui propter alvum per multos dies omnino exſiccatam, in totum prorſus mutatus, macilentus, pallidus, facie cadaveroſus, totus fœdus, imo fœtidus, (jam enim ab adſtantibus percipiebatur halitus ipſius, qui neſcio quid fœtidi & graveolentis, ut ſtercus, redolebat, & hic peſſimus odor ab ipſômet patiente optime cognoſcebatur) evaſit: adeo ut conſortia hominum fugeret, breviqve mortem expectaret. *Epilepſiam* in teneris Infantibus & Pueris, ex ſuppreſsâ Dejectione gliſcentem, ex *Obſ. River. 50. á D. Petr. Paſchet. communicatâ*, percipere poſſi. Ejusdem Originis *Iliacam Paſſionem*, quam *Miſerere mei* communiter dicunt, (quod inversô fiſtulæ inteſtinalis motu periſtalticô, Fœces alvinæ pes Os interdum, miſerabili ſpectaculô, egerantur) triſtiſſimum ſanè & periculoſiſſimum Malum, antecedente plerumquè *Inteſtini Inflammatione* (qualem etiam *Bartholiniana Hiſtoria* in Vetulâ Patavinâ deprehenſam indicat) aliquando

aliquando & *Herniâ incarceratâ*, eveniens, in Lipſienſi Celeberr. Prof. *Doct. FRID. RAPPOLTO* obſervatam, *ABRAH. HOFFMANNUS*, *Diſput. Inaug. de Alvi Conſtipatione, Erford. A. 1678. habitâ*, §. 22. perhibet: Suntque ſimilia Exempla & jam pridem & nuper ab aliis annotata. Dolores *Colicos* exquiſitiſſimos, neque anodynis neque iteratis laxativis placabiles, in Scabino & Aromatario Thorunenſi, ſeptuagenario majore, ex retentione flatuum & fœcum Alvi obortos, *Doct. SIMON SCHULTZIUS Ephem. Curioſ. Germ. Dec. 1. Ann. 3. Obſ. 105.* recenſet. Deque iisdem videri poteſt *Earundem Ephem. Dec. 2. Ann. 7. Obſ. 52.* Nec non *Ejusdem Dec. Ann. 1. Obſ. 81.* Ibidem *Obſerv. 101. pag. 239. Convulſiones* in Puerperis, ſæpè ſæpiùs à conſtrictâ Alvo excitari ſolitæ, à *D. JOH. MURALTO* commemorantur. *Apoplexiæ* periculum non aliâ à Causâ inductum, *SALMUTH Cent. 2 Obſ. 65.* prodit. *Prolapſum Inteſtini recti*, ejusdemque *Gangrænam*, imo *Sphacelum*, ex contumaci 40. dierum Alvi conſtipatione, *D. Marc. GERBEZIUS Obſ. 72. Ann. 8. Dec. 2. cit. Eph. Germ.* exponit. Pariter de *Prolapſu Uteri*, aut Membranæ potius Vaginam uterinam ſuccingentis Extenſione, in aliquibus, quæ Alvi duritie & Ventris Dolore vexabantur, habet *BARBETT. Chirurg. Cap. 8. Putredinem* quin etiam *Longanonis*, quà internos parietes, *Inteſtina* reliqua *Sphacelata* aliaque aliarum partium vitia, quæ non potuit non preſsô pede Mors ſubſequi, in *Joh. Richtero* Pharmacopæo Aulico Eichſtadienſi, Alvi conſtipatione Ventrisque torminibus acerrimis per tres ſeptimanas afflictô, à ſe deprehenſa, *ROSINUS LENTILIUS* patefecit, *Obſ. 139.*

B *Ann.*

Ann. 7. Dec. 2. Eph. Germ. pag. 266. Perindeque *Lethiferas* alias, utut aliquando non adeò diuturnas, *Obſtructiones alvinas* promulgarunt *RHODIUS, Cent. 2. Obſ. 77. PANAROLUS, Pentecoſte tertiâ Obſ. 29. RIVERIUS Obſ. à Jac. Formio communicat. 18. ZWINGERUS Theatr. V. H. p. 530. SALMUTH Cent. 1. Obſ. 78. FERNELIUS 6. de partic. morb. & ſympt. cap. 9. D. CHRIST. MENZELIUS Obſ. 182. Ao. 9. & 10. Dec. 1. Eph. Germ. pag. 425.* aliique ex iis, quos nominat *MORONUS Directorii Medico-Practici p. 10. & 11.* Ut Τερατῶδες profectò ſit, (dicente iterum *CASP. HOFMANNO loc. ſupr. cit.*) ſi qui inventi ſunt, qui totos Menſes & Annos occluſi fuerunt. Uti inventos quidem non tantùm, qui ſingulis ſeptimanis ſemel dejicerent: (quemadmodũ apud *PHILIP. SALMUTH. Cent. 2. Obſ. 65.* cujusdam mentio fit, qui quâvis ſeptimanâ, Die ſemper Jovis, Ventrem exoneravit.) Sed & qui ſecundâ, tertiâ, quartâve ſeptimanâ, imò tertiô vel quartô Menſe, (perhibentibus *JOH. RHOD. Cent. 2. Obſ. Med. 85. PANAROLO Pentec. primâ Obſ. 1. JOSEPH LANZONO Eph. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 9. Obſ. 42.* aliisque) ſarcinam Ventris deponerent: Nec non qui ultra Annum, imò ultra Biennium, firmatam ſibi Alvum experirentur: (referentibus *RUMLERO per WELSCH. Obſ. 68. BENED. SYLVATIC. Conſilio 98. Cent. 2. SALMUTH. Cent. 1. Obſ. 24.* pluribusque Obſervationum Scriptoribus:) credere convenit.

§. IV. Quoad *Urinæ Cohibitionem*, (quam quidem *Iſchuriæ* nomine cõmuniter appellari Pathologis conſtat; tametſi *Dyſuriam* & *Stranguriam* eidem quoq; ſubordinet *CASP. HOFFM. Inſtit. Lib. 3. Cap. 7*) dignus pariter notatu eſt *Aphoriſmo HIPPOC. 44. Sect. 6. Quibus*

à Stranguriâ Volvulus ſupervenerit, intra ſeptem Dies moriuntur, niſi febre ſuperveniente copioſa Urina fluxerit. Quippe ex quô intelligas: & Morbum ſubindè graviſſimum, nempe Iliacum; & ipſam aliquando Mortem, per illum, intra dies non adeò multos, ab impeditâ Mictione induci. Et verò veriſſimum non tantùm utrumque, ſed & graviſſimis aliis Affectibus Occaſionem originis promptiſſimam, ab Urinâ ſive in totum ſuppreſsâ, ſive parciùs juſtô egeſtâ, eſſe; eſſeque adeò non raram, ab impotentiâ mejendi, potiſſimum totali, Vitæ jacturam: cumulàtis maximorum Medicorum Teſtimoniis, pariter & Obſervationibus Curioſorum luculentis, confirmari nullô negotiô poteſt. Mihi autem unicum Magni DANIELIS SENNERTI ſuffragium hùc afferre, paucisque illuſtrare Exemplis ſufficit. *Periculoſum ſatis,* ſcribit ille *Prax. Lib. 3. Part. 8. Sect. 2. Cap. 2, malum eſt Urinæ ſuppreſſio: Neque poteſt Homo cum Urinâ diu ſuppreſſâ vivere. Et quidem ſi non deſcendit per Renes ad Veſicam Urina, Jecur opprimit, Sanguinem inficit & inquinat, ad totum Corpus regurgitat, habitumque corporis aquâ, ut in Anaſarca fieri ſolet, replet, ſuffocationis periculum inducit, non nunquam cerebrô in conſenſum tractô, torporem inducit. Interdum quoq; Sanguis corrumpitur, & humores putreſcunt, unde febres accenduntur, & niſi ante ſeptimum Diem mingant, pereunt. Eodem etiam modô, ſi à Veſicæ vitio Urina ſupprimatur, magnus Dolor in Veſica excitatur, & Urinâ ad ſuperiora regurgitante, varia mala inducuntur.* Quæ quàm non falſa ſint ut appareat: Ecce! Exempla aliquot, tum nominatarum, tum ſimilium Calamitatum, utplurimùm lethiferarum. Ingentem

circa Veſicam Dolorem, ex Urinâ perquinque Dies ſuppreſsâ, commemorat *FOREST. Lib. 25. Obſ. 17.* Pariter Dolorem & Tumorem teſticuli ingentem ex Iſchuriâ *DRAUWIZ, de Scorbuto pag. 367.* indicat: Inflammationem Veſicæ, in *Tychone Brahe*, ex ſymptomate hoc mortuô, deprehenſam â Medicis, ex ipſo *Sennertô* refert *MOEBIUS Fundament. Phyſiolog. pag. 450.* Rupturam ejusdem ex eodem *EUSTACH. RUDIUS Lib. 2. Cap. 53*: Gonorhœam & Lumborum dolorem *TRINCAVELL. Lib. 3. Conſult. 66*: Teneſmũ *BENED. SYLVAT. Cent. 3. Conſult. 48*: Impotentiam *GUARINONIUS Conſil. 462*: Cœliacam Affectionem *Idem Conſil. 554*: Singultum *CÆSAR MOCCHA Conſ. 41*: Eundem continuum, Vomitumque & Convulſiones, *DOLÆUS Eph. Germ. Curioſ. Dec. 2. Ann. 10. Obſ. 125. pag. 277.* Vomitum itidem & Soporem, Memoriæque læſionem & Balbutiem, nec non Exſpirationem urinoſam per Os & nares, ut & totius Corporis Intumeſcentiam, *LUC. SCHROECK Obſ. 179. Ann. 9. & 10. Dec. 1. Eph. Germ.*: Similiter Intumeſcentiam Capitis, Abdominis, Pedum, Scroti, *PAULLINUS Dec. 2. Ann. 10. Obſ. 189. pag. 308.* Intumeſcentiam item totalem, â *SCHARLACHIO* in Comite Mansfeldicô, qui Hydropicus putabatur, notatam, *POLISIUS Obſ. 162. Ann. 5. Dec. 2.*: ut & aliam ſimilem *MARCELLUS Donatus Lib. 4. Hiſt. mirab. Cap. 8*: Tumorem Faciei & omnium corporis Partium, earumque pruritum, ac tandem Epilepſiam, (ſed quâ ipſa Iſchuria ſolveretur) *SIGISM. GRASSIUS Obſ. 212. Ann. 3. Dec. 1*: Epilepſiam quoque Hemiplexiâ terminatam, *CAR. RAYGER. Obſ. 110. Ann. 9. & 10. Dec. 1. Eph. Germ.*: Epilepſiam lethalem *HOECHSTETTERUS*

Dec.

Dec. 5. Fol. 420: Anginam ſuffocantem, & Torporem itidem Lethalem, Idem *Fol. 510:* Convulſiones periodicas *VITUS RIDLINUS Obſ. 185. Ann. 3. Dec. 2. Eph. Germ.*: Easdem lethales *CRUGERUS Obſ. 26. Ann. 5. Dec. 2.* Hæmorhagiam narium *MENZELIUS Obſ. 63. Ann. 4. Dec. 2.* Hydropem *BORRICHIUS apud BARTHOL. Cent. 4. Epiſt. 17:* produnt. Vidit nec ſemel nec diſſimiles tragædias, in 30 annorum Praxi etiam Excell. Dn. *PRÆSES.* Atque triſtiſſimum imprimis Iſchuriæ eventum, annô ab hinc alterô, notavit unà cum Medicis aliis, in Senatore quodam hujus loci; quippè qui pertinaci iſti Affectui, decimô circiter Die, flebili fatô, ſuccubuit: Accedente quidem ad Vomitum vehementem, aliarumque moleſtiarum Cumulum, crebrâ eâque fortiſſimâ & Spectatoribus ferè terribili Epilepſiâ. Quam ipſam, (utut aliàs puerili Ætati à variis Cauſis facilè eveniat) haud rarò in teneris Infantibus ab Urinâ retentâ oriri, quemadmodum *WEDELIUS in Schol. Obſ. 15. Ann. 3. Dec. 1. Eph. Germ.* aſſeruit, non unâ itidem Experientiâ didicit.

§. V. Quibus itâ habentibus, totque adeò ac tantis, Vitæque Valetudinisque & periculis & damnis, malam atque fruſtratam tùm Alvi tùm Veſicæ Egeſtionem excipientibus; non malè iterum Peritiſſimus medendi *HIPPOCRATES* Diſcipulos ſuos monuit: Ut inter alia, ſub ingreſſu ad infirmos, ex iisdem aut circumſtantibus quærenda, etiam de *Ventris ſucceſſu* ſollicitè interrogarent. Haud obſcurè ſimul docens, plurimam in eâ re ſollicitudinem nunqàm non debere Medico eſſe commen-

datam. Unde non immeritò jam pridem hodièque, exercentes pariter atque docentes Artem gratioſiſſimam, Viri eximii, ſicuti in inveſtigandis exponendisque, tum Alvi tum Veſicæ diutiùs morantis, Cauſis; ita in inveniendis & indicandis, ordinandis & fideliter tradendis, Modis juxta ac Mediis, quibus & averruncari illæ & profligari, in Adultis æquè ac recens natis poſſint, omni induſtriâ ſatagunt.

§. VI. Et prodita quidem hactenùs, atque hôc imprimis curioſiſſimô Seculô, auxiliante potiſſimùm Anatome & Chymiâ, detecta ſunt varia, partim Cauſarum utrique Egeſtioni obſtacula ponentium, earumque ſubinde admirandarum: partim Præſidiorum, ad præcavendas æque ac exſtinguendas illas pollentium, eorumque aliquando præſentiſſimorũ, genera. Quibus omnibus diſtinctè explicandis, quamvis operam fortasſè nec inanem, nec ingratam quibusdam, locaverim; non fert tamen ſive Inſtituti mei Ratio, ſive Virium conditio, ſumere hoc mihi negotium. Placet quin potiùs ex ingenti horreô ſpicam depromere: Ex magnô inquam, Cauſarum numerô unam tantùm, Rerum, quas vulgò vocant, Præternaturalium Claſſi ſubſtantem, excutere; Atque ex magnô Præſidiorum iſtorum apparatu, unum tantùm, quod eidem Cauſæ expugnandæ unicè inſervit, proponere Præſidium, in quod digitum intendo, eſt Chirurgicum. Cui explicando Animum applicare præ aliis, vel ideò mihi placuit, quod prima Studiorum meorum Principia circa Nobiliſſimam Artis partem Chirurgiam

giam verſata ſint. Cauſa, de quâ agere propoſitum eſt, eſt *Affectio Marmorea*. Quæ in quô conſiſtat, quam Originem quasve Conditiones alias habeat? cum ex Nomints non minus, quam Rei Evolutione dispaleſcere poſſit; illam imprimis aggredior.

§. VII. Minùs quidem uſitatum eſt, fateor, in Scholis Medicis *Affectionis Marmoreæ* Nomen hodiè: Eſt tamen nec novum, nec barbarum. Eô jam pridèm uſos eſſe Medicos, fidem dubitanti facere poterit, Rerum æq; ac Vocum Medicarum ſcientiſſim⁹, *HIERONYMUS MERCURIALIS, Lib. 1. de Morb. Pueror. Cap. 9. p. m. 134.* Atque is quidem *SUESSANUM* teſtem adducit; qui id à *MICHAELE EPHESIO* traditum narraverit, *Comment. ad Lib. 4. Ariſtotel. de Gener. Animal.* Cumque purè Latinum (ſi non uſu apud Autores Claſſicos, ſaltem ratione Vocularum componentium, ceu Latinitatis gnari facilè largientur) neque Ambiguitati, quod ſciam, in uſu ſcriptisve Medicorum obnoxium ſit: Hinc illud potiùs quam aliud adhibere hactenùs, inque ipſa Inſcriptione hujus Diſſertationis adſcribere viſum eſt. Ejus verò Originem, ſi quis me roget: Non liquere quidem, ſed ſuſpicari tamen me, dicam, quod vel ideò, quia Statuarum inſtar marmorearum comparati ſunt, qui malo, quod deſignat, affecti ſunt, nihil egerentes; vel eam ob cauſam, quod, quæ dura aliàs audit, non aperta Alvus, duritiem quaſi marmoream planè, ob ſolutionis difficultatem, habeat in hâc Affectione; placuerit id Inventoribus.

§. VIII. De Synonymis ſi quis pariter

quæ-

quærat; Latina & Latinitati donata, Græca & Barbara, nec non Germanica dare licebit; ſed Ambiguitate vix carentia. Latina, (utut non adeò pura) ſunt: *Coalitus* aut *Inteſtini* ſimpliciter, aut *Inteſtini recti*, aut *Ani*; ac *Meatus Urinarii vel Uretbræ*: *Clauſura Meatuum Urinæ & Fæcum*: *Imperforatio* tum ſimpliciter, tum *dictorum Meatuum*. Latinitati donata ſunt: *Atreſia*, quippe ex Græco ἀτρησία; *Phimus & Phimoſis*, ut pote pariter ex Græcis Φίμος ἢ Φίμωσις nata. Ambo iterum vel *abſolutè* poſita vel additis comemoratis vocibus, *Ani, uretbræ &c.* Quibuſcum & *Symphyſis* ferè jungitur itidem â Græco ξύμφυσις, quod *Concreturam* interpretantur aliqui, orta. Barbarum eſt *Alratica*; Arabicum Idioma æmulans. Germanica habentur: Verwachſung oder Verſchlieſſung des Affters und Harn-Ganges/ vel potiùs der Verwachſene oder Verſchloſſene Maſtgang oder Affter/item Verwachſene und un-geöffnete Harn- oder Waſſer-Röhre. Quorum interim, quia pleraque, ceu dixi, πολύσημα ſunt, ut Homonymia errorum genitrix exſpiret, indicare eandem; & quô ſenſu ſingula *Affectioni Marmoreæ* æquipolleant, determinare conveniet.

§. IX. Igitur ξύμφυσις & *ſymphyſis*, *Coalitus* & *Concretura Inteſtini*, cum aliàs quidem Fiſtulæ Inteſtinalis, (quæ tota olim *Inteſtinum*, & *Inteſtinus* etiam *Plinio*, juxta PETR. LAUREMBERGIUM *Exercitat. Anat. V.* § 3. dicta eſt) quôcunque aut locô aut modô vulneratæ vel exulceratæ conſolidationem; quam aliquando etiam in graciliore ipſius parte, contra *Aphoriſm. 18. & 24. Sect. 6.* contigiſſe, ex BENIVEN. *c. 76.*

SCHENCK.

SCHENCK. L. 3. Obſ. f. 422., *BECKER.* de *Cultrivor. Cur. p. 128.*, *EPH. GERM. CUR. Dec. 1. Ann. 3. Obſerv. 176.* conſtat: Aliàs Ejusdem tam *Naturalem*, E g. cum Meſenterio, Pyloro *&c.* quàm *Præternaturalem*, E.g. cum Peritonæo & Muſculis Abdominis (uti eſt in *Obſerv. 15. Ann. VII. Dec. II. E. G. C. p. 25.*) connexionem: Aliàs Cavitatis illius in aliquô quicunque etiam ille fuerit, vel tenuioris vel craſſioris Portionis, locô, abolitionem; ſive ex arctiori laterum ad invicem applicatione, ſive aliâ ratione ortam; cujusmodi mirandas *MARCELLUS DONATUS de Hiſtor. Med. mirab. Lib. 4. c. 20. JOUBERTUS* in *Vita Rondeletii* & ex his *SENNERTUS Prax. Lib. III. Part. II. Sect. I. c. 3. p. m. 196. BARTHOLINUS* item *Cent. 6. Hiſtor. 38. JOH. RHODIUS Cent. II. Obſ. 77. 82.* retulerunt, & *Job. van HORN.* in *Tr. de Nov. Duct. Chylifer.*, ſolida Inteſtina commemorans, inſinuavit: Aliàs Inteſtini ultimi (quibusdam κατ' ἐξοχὴν Inteſtinum dicti) ſimilem, ſive nativam, ſive poſt nativitatem factam, conglutinationem & obturationem. Aliàs eandem tantùm Connatam ſignificent: ſolô poſtremô ſtrictiſſimô ſignificatu, idem cum *Affectione Marmorea*, ſed quodammodò, notant. Speciem enim quandam hujus ſolummodò dicunt, uti ex ſequentibus innoteſcet. Quod idem de Vocaminibus iisdem, ubi *Inteſtini recti*, aut *Ani* voces additas habent, tenendum eſt. Utut enim ſtrictiſſimè accipiantur pro Extremi Inteſtini, aut Extremitatis illius extimæ, ex uterô tractâ concretione; (cum aliàs etiam πρόσφυσιν dictarum partium, poſt partum, ex ulceribus v. g. aut aliâ occaſione factam; qualem *ARGENTERIUS Lib. 2. c. 10. de*

Cauſis Morborum, BENIVENIUS *c. 3. & 86.* aliique, quorum Obſervationes collegit SCHENCKIUS *Lib. 3.* notarunt; deſignent) non adæquatè tamen ſignificationem *Affectionis Marmoreæ* habenti, quippe quæ Urinæ viam ſimiliter â nativitate oppeſſulatam pariter notat. Sicuti viciſſim, ubi *Meatus Urinarii* vel *Urethræ* nomina accedunt *Symphyſi* reliquisve jam dictis Vocabulis, quamvis ſtrictiori iterum ſenſu, pro vitio nativo non cavi Canalis illius, qui Urinam Veſicalem transmittit, veniant; alioqui Ejusdem conditionem ſimilem utrumque poſt nativitatem contractam, etiam ſignificantia: ex eô *Affectioni Marmoreæ* æquipollere in totum non poſſunt; quod, perinde atque illa, Longanonis ante dictam ſimilem conſtitutionem minimè menti ingerant.

§. X. Quod *Clauſuram Meatuum Urinæ & Fæcum* attinet; propriâ ſignificatione, Partium, per quas Urina & Fœces feruntur, omnium, quamcunque & à quâcunque causâ ortam, vel compreſſionem, vel conſtipationem aut obſtructionem totalem, adæquatè dicit: Sicque Uretherum etiam & Veſicæ, quippe per quæ Urina meat; nec non Coli & Recti totius Inteſtini, quippe quæ Fœces Alvinæ permeant; Pariles, v. g. â Calculo, Grumo Sanguinis, Pituita viſcida &c., Læſiones, generali ſignificatu complectitur. Strictè verò, pro quôcunque itidem, ſivè aſcititiô, ſivè ſub ipſis natalibus ortô, *Ani* & *Urethræ* Coalitu præternaturali uſurpatur. Et ſtrictiſſimè demùm defectum nativum Cavitatis, in modò dictarum partium vel alterutrâ vel utrâque, indicat: Eoque unô ſenſu cum *Affectione Marmorea* convenit.

§. XI.

§ XI. De Ἀτρησία (apud Veteres quidem Græcos vix auditâ voce) Φίμω & Φίμωσι; ſicque *Atreſii*, *Phimo* & *Phimoſi*, ſub ipsâ rei evolutione facilè intelligere licebit, quod Generum, quibus *Affectio Marmorea* ſubordinari poteſt, nomina ſint; ab aliquibus ad illius ac aliarum ſpecierum ſignificationem ſpecialem tracta. Igitur iis, æquè ac Germanicis, (quæ, quâ ratione hùc quadrent, in Germania Germanam loquentes, haud difficulter dijudicabunt) miſſis, de barbarâ tantùm *Alratica* voce, ex *Lexic. CASTELL. & BRUNONS pag. 48. & 194*, moneo. Quod propriè quidem, juxta *Albucas. Lib. II. meth. med. C. 72.*, de iſto ſtatu dicatur, quando Vulva mulieris non eſt perforata, aut eſt Foramen parvum, & quidem vel naturaliter, vel accidentaliter: Aliàs verò latiùs illorum utriusque ſexus hominum conſtitutionem notet; quibus *Anus* aut Genitalia perforata non ſunt, ſivè ex naturâ fuerit, ſivè ex morbô acciderit. Quare non aliâ, quàm poſteriore ſignificatione; & quidem non aliâ iterum ratione, quam quâ generis nomen alioqui cum nomine ſpeciei congruat, quadrare ad *Affectionem Marmoream*, ex accuratiore hujus Deſcriptione mox inuoteſcet.

§. XII. Jam ad rem ipſam intimius luſtrandam pergens, à Definitione illius, pro more, ordior. Quam brevem quidem, ſed, me judice, ſufficientem, hôc modô conſtituere ſuſtineo. *Affectio Marmorea eſt Atreſia, ſivè Ani, ſivè Urethræ, ſivè Utriusq; Infantibus utriusq; Sexus connata.*

§. XIII. Generis Locum *Atreſiæ* dare viſum

eſt, utut ſine Autoritate quidam aliorum, at non ſine ratione. Cum enim *Atreſia*, definiente *JOH. ANTON. van der LINDEN, Meletemat. Medic. Hippocrat. Lib. 3. § 59.* ſit, Imperforatio membri; quam ipſa vocis Origo & ſignificatio pariter inſinuat: Fatendum certè eſt, nihil eſſe in eâ, quod non ſit in *Affectione Marmoreâ.* Eſtque *Atreſiæ* conceptus latior: utpote ſub quô continetur præterea, tum Oris Nariumque, tum Uterini orificii, aut Sinus muliebris, imo & Meatus Auditorii, & cujuscunque alterius naturalis foraminis occluſio; tam *naturalis*, (quomodo vocant ab errore naturæ formantis in utero ortam) quàm *accidentalis* vulgò (quod jam natis & ritè antehàc in utero perforatis accidat) appellata. Tametſi enim laudatus *LINDENIUS, loc. cit.* arctioribus limitibus Atreſiam & Imperforationem membrorum circumſcribat, cum ſcribit: *Atreſia eſt Imperforatio membri: ſive per Naturam neglecta, vel in Corpus alimenta admittendi, vel, è corpore excrementa emittendi, via: Viæ, priorum quidem ſunt Os & Nares: poſteriorum verò Anus & Urethra. In Fœmina aliud præterea malum: cum ad ſe viro aditus aut nullus eſt, aut penetrabilis non eſt:* Eſſe tamen ampliores illarum fines, pariterque *Phimum & Phimoſin* (in quibus adeoque *Affectionis Marmoreæ* Genus pariter haud incongruè, mea ſententia conſtituere, ſi quis voluerit licebit) latiùs patere; poſſis ex iis intelligere, quæ *CASPAR. HOFFMANNUS Inſtit. L. 6.* tum *cap. 41.* de Imperforatis, tum *cap. 54. § 68. de* φίμῳ & φιμώσει attulit. Illa poſtea exhibiturus; Hæc hoc loco adſcribere non dubito. Ut eluceſcat ſimul, quid tribuendum ſit ſententiæ *HIER. MERCURIALIS:*

ALIS: Qui quamvis *Celſum Lib. 7. Cap. 25.* nullam differentiam inter Imperforationem & Phimoſin feciſſe agnoverit φίμον tamen & φίμωσιν, cujus *Galenus 2 ſecundum loca, 6. & 2 de Offic. Medic. ult.* meminit, diſtinctum planè ab *Affectione Marmoreâ*, ſivè Imperforatione, ut ipſe appellat, aut Clauſurâ Meatuum Urinæ & Fœcum, Affectum eſſe, ex eô aſſerere non dubitat: Quod hæc Imperforatio naturalis ſit; φίμος autem & φίμωσις ſit potiùs accidentaria, vel ob cicatrices, vel ob Tumores, vel ob carnem ab ulcere derelictam, indice *PAULO Lib. 7. C. 73.* Sic nempe *HOFFMANNUS:* φίμος ait (de quô §. *mox ſequente 69.* commodè monet, *quod quidam ſit obturatio pororum cutis, στέγνωσις aliàs dicta*,) ἢ φίμωσις *apud PAULUM, ſiquidem conjungas duos locos, Lib. 3. C. 73. & lib 6. C. 55.*, *pertinet ad utrumq; Sexum, penem & uterum. Cum utraq; pars ita eſt clauſa, ut neque ſemen ex pene elabi poſſit, neque in uterum illabi. Verùm enim verò, ut ſe explicat poſteriori loco, in pene fit duabus de cauſis. Aut poſt Inflammationem, obducto carne foramine: Aut præputio tegente foramen. Apud Galenum 2. Off. Med. 32. latiùs patet vox, de omni ſcilicet Meatu clauſô: tu puta, in palpebris, in Ore, in Ano: Dixi de omni; Puto enim addendum eſſe Uterum cum ſinu pudoris.*

§ XIV. Aſſignatô autem ſic conceptu formali, proximôque adeò *Affectionis Marmoreæ* Genere expoſitô; Quibus remotioribus Generibus eadem ſubſtet, determinatu haud difficile foret, ſiquidem extra dubium hactenus à Pathologis poſitum foret, ad quam Morborum Claſſem propriè referri Imperforatio, atque adeò Atreſia, vel Atretorum

(quos deinceps dicemus) au · Imp erforatorum conſtitutio, debeat? Quod cum non ſit: Dum alii, cum *MONTANO*, ad Morbum Mea uum ſivè Viarum eam referunt, teſte *CASP. HOFFMANNO*: Alii, ut ipſe *HOFFMANNUS*, *locô jam citatô priori*, nec non, Indice *BRUNONE*, *in Apologiâ pro Galen. Lib. 8. C. 226*, Morbis in Situ annumerant: Alii, ut modo dictus *JOH. PANCRATIUS BRUNO*, (qui *HOFFMANNI* ſententiam minus accuratam cenſet, *Dogm. Med. General. Li . II. Cap. IV. D. 8.*) vel morbis Conformationis in Meatibus accenſendam, vel conſtitutâ peculiari Morborum Specie, Morbis ſolutionis continui oppoſitâ, huic ſubordinandam arbitrantur; *V. d. Lexic. Caſt. BRUN. p. 149*: Liceat interim mihi cum *LINDENIO* (qui tamen & ipſe non adeò conſtare ſibi videtur, quandoquidem aliàs ſub *Symphyſi* membrorum, ſivè *Concretura* eorum culpa Naturæ contingente, quæ ei ſpecies altera Morbi Continuitatis, adeoque Morbus ſimilaris eſt, exempla Atretarum exhibet) ſentire, & Imperforationem Morbis Cavitatis, (qui ſunt apud illum genus quartum Morborum Structuræ ſivè Organicorum) adſcribere: Acceptâq; adeò eâ Hypotheſi, ut de *Affectionis Marmoreæ Generibus Remotis* iisq; *Eſſentialibus*, conſtet, ita ſtatuere: Quod propius ad *Morbum Cavitatis*, remotius *ad Morbum Structuræ* ſivè *Organicum*, eumque *Localem*, pertineat.

§. XV. *Conceptus Differentialis* ergò, nempe ut de eô conſtaret ex Definitione datâ, *ſubjecti* & *Originis* mentionem in eâ feci. *Subjecti* nimirum, quod vocant accuratiores Pathologi, tum *Repræſentativi*, tum *Subſtantivi limitati*, ſive *partialis*, quod *Loci*

affecti

affecti nomine communiter indigitant, *Hoc* indicatum eo, dum *Ani & Urethræ*; *Illud*, dum *Infantium utriusq; Sexus* memini. Nimirum partes in *Affectione Marmoreâ* affectæ ſunt geminæ illæ nominatæ: altera quidem Homerdæ egerendæ, altera Urinæ excernendæ, ex inſtitutô Naturæ dicata; atque ſui adeò muneris ergò utraque & cava & perforata. De quibus quamvis hic pluribus commodè dici poſſet; quid nimirum & quô corporis locô ſitæ, & quomodò præterea naturaliter comparatæ ſint? nolo tamen id nunc agere, atque Phyſiologorum aut Anatomicorum ſcrinia eô nomine compilare. Sed ad horum potiùs Monumenta Lectorem remittere: Atque ex magnô numerô tantùm *DIEMERBROCKIUM Anatom. Corp. Hum. p. 56. & 181 BLANCARDUM. Anatom. Reform. Part. II. p. 15. 25. 120. & 139. JOH. MUNNICKS de Re Anatom. p. 38. 72. & 83.*; ſpeciatim verò, quantum ad *Inteſtini recti* (Εὐθυέντερον aliàs *Ariſtoteli*, juxta *LAURENBERG. Exercit. Anatom V. §. 25.*, barbaris *Longanon*, Germanis der Maſt-Darm oder Maſt-Gang dicti cujus pars nempè extrema *Anus* eſt, quem alias *Podicem* & Græci ἀρχὸν, quaſi principem; ideò, quod, dicente *SPIGELIO de human. Corp. fabric. Lib. VIII. c. 8.*, principis inſtar ſummam poteſtatem habeat, cogatque nos in maximè feriis negotiis onera, quibus præmitur, deponere; Germani ſ. v. den Hintern/Affter/oder Arß vocant) Conſtitutionem naturalem, *FRANC. GLISSONIUM. Tr. de Ventric. & Inteſt. p. 217*: quantum ad *Urethram.* & quidem *Maſculinam* (*Meatus* aliàs *Urinarius* & Germanicè die Harn-oder Waſſer-Röhre appellatam) *REGNERUM de GRAAF Tr.*

de Viror. Organ. Gener. inſerv. p. m. 138: Et quantum ad eandem *Fœmineam*, (quæ obſtetricibus noſtratibus plerumque die Waſſer-Schnur oder Waſſer-Gang audit.) *Eundem Tr. de Mulier. Org. Gen. inſerv. C. 6. p. m. 64 & ſeq.*; Imò verò, quoad hanc ejusque inſertionem in Pudendum muliebre, variis Anatomicorum tabulis perperam notatam, atque adeò à Chirurgis non tantùm vulgaribus, ſed & aliis multis ignoratam, *FR. SYLVIUM. Prax. Med. Lib. III. C. 3. §. 47. & ſeq:* videndos commendare. Tenendum verò, quod dictæ duæ Partes non conjunctim ſemper & ſimul in *Affectione Marmoreâ* afficiantur; Id enim rarius eſt: Sed ſeparatim plerumque, modô nimirum *Anus*, modô *Urethra*, afficantur: foraminis defectum ſortitæ. Inde eſt, quod particulam *ſivè* bisque terque in Definitione adhibuerim. Re nimirum, per diverſa Exempla, ita, ut dixi, compertâ.

§. XVI. Iſta perſpecta habere, tum aſſerti hujus, tum aliorum deinceps dicendorum causâ, cum intereſſe legentium exiſtimem, non peccaverò, opinor, ſi præcipua quædam breviter hôc locô exponam. Notabile imprimis eſt illud, quod *TH. BARTHOLINUS Cent. 1. Hiſt. 65.* retulit: Maſculi nimirum, (qui & in Virum evaſit) ſine podicis ac penis notâ nati, lotiumque ex pilâ quâdam fungoſâ, circa locum umbilici enatâ, velut per ſpongiam reddentis, alvinas verò fœces certis periodis, finitâque ventriculi concoctione, per cornu ori impoſitum (quod in hunc uſum perpetuò ſecum ferebat) evomentis. Quippe in quô utriusque Partis & *Ani* & *Ductus urinarii* ſimultaneam Imperforationem advertere eſt, qualis vix alibi, quod ſciam, commemorata eſt.

Tametſi

Tametſi, ſi quis plus, quàm Affectionem Marmoream, nempe non Atreſiam tantùm Ani & Urethræ, ſed totalem harum partium (certè Urethræ) Defectum hîc fuiſſe contendat, cùm eô non admodùm litigavero. Nec aliter verò id, quod modò dictum eſt, de Exemplo ſimili vix alibi extante, accipi velim; quàm, quod ſimultanea ejusmodi utriusque toties dictæ Partis clauſura, vix æquè ſive comparata, ſive inoxia, in aliis Subjectis obſervata atque ab aliis relata ſit. Quantumvis enim apud *DOMINIC. PANAROLUM* quoq; *Pentecoſt. II. Obſ. 5.* Gallus quidam adducatur, in utero Matris, ſine Pene & Anô, malè conformatus; qui in lucem proditus, contra omnium (breviſſimam illius Vitam fore, non ſine ratione, exiſtimantium) opinionem, ſuperſtes nõ tantùm, ſed & optimæ ſanitatis athleticique habitus fuit: Dum quotidie, poſt debitum primæ concoctionis tempus, adeoq; citra confuſionem (ut Author ait) aut Nutritionis, aut fæcum expulſionis, ſtercus probe coctum evomeret: Urinam verò, per ſtillicidium, ex Carne qvadam paucâ, rotundâ, rubrâ, planâ & ſpongioſâ, in anteriore parte, ubi Mentula virilis exſurgit, exiſtente, continuô ejiceret: Non aliam tamen hanc Hiſtoriam â *Bartholinianâ* eſſe exiſtimo; quin utrumq; Scriptorem de eodem Homine, utriq; in Latio viſô, retuliſſe, plenioremq; adeò, ex utriuſq; collatione, ejuſdem rei notitiam haberi poſſe, puto. Qvamvis etiam *FEL. PLATERUS, Obſ. Med. Lib. III. ſub. Deformatione p. m. 564. & 565.* Infantem Maſculum

ſculũ ſuo tempore in lucem editum ſcribat, Podice carentem; in quo nihil illic, præter lineam ſeu rugam, & notam aliquam rotundam, ubi Anus ſe aperire debuerat, apparuit: Cuive præterea Præputium omninò coaluit ita, ut nec Urinam reddere potuerit: ſervari tamen eum, inſtar antedicti, in vivis, (utut & Præputium ſcinderetur, effluente paucâ Urinâ; & Sectio illo in Loco, ubi nota Podicis apparuit, inſtitueretur) minimè potuiſſe indicat. Præputiô nimirum foramini Glandis, ita innatô, ut id penitùs obturaverit & occluſerit: Podici verò obductâ transversâ Membranâ; quæ non niſi profundè, ad duos digitos, per ſpongioſam Interfeminei Carnem & Adipem, adactâ novaculâ, poſt mortem ſecanti, ſeſe oſtendit: Et ſcalpello diſſecta mox atræ copioſiſſimæ Materiæ, qualem Infantes modo nati cacare ſolent, una cum flatibus crepitibusq;, viam dedit. Quamvis ampliùs *D. HEINR. SAMPSONIUS, Ephemer Germ. Dec. I. Ann. 3. Obſ. 169.*, Fœtum monſtroſiſſimum, Framlinganiæ in Agrô Suffolcienſi, Anno 1668. Menſ. Januar. natum, deſcribens, nullum in eô, pro excrementis vel Veſicæ vel Alvi, exitum patuiſſe; ſed Papillam tantùm carneam parvam, inſtar Nucis Avellanæ minoris, loco Pudendi, exſurrexiſſe perhibeat: Nec non *D. JAC. PHIL. HARTMANNUS*, earundem *Eph Dec. II. Ann. 10. Obſ. 162.* Anatomen Fœtus Monſtroſi, ſiniſtro Pede manci, anticâ & poſticâ parte imperforati, ſine ſexus manifeſtô diſcrimine, explicans; in eo Os Coccygis locum

Ani

Ani imperforati occupaſſe: Inteſtinum rectum autem fæcibus vacuum & album, nullamque ejus ad Colon proportionem fuiſſe; quin Pennæ tantùm Olorine craſſitiem adæquaſſe, & quaſi ligamentum Colo annexum præ ſe tuliſſe, atq; ad Umbilicum cum Vaſis Umbilicalibus deſiiſſe: In appendicula verò latâ, (quæ è Regione Pubis extitit) & circumcirca, anticum foramen fruſtra quæſitum fuiſſe referat: Vitam tamen his quoq; minimè, (ut illi, de quo *Bartholinus* ſcripſit) conſtitiſſe; quippe quæ alteri quidem poſt Partum nulla, alteri breviſſima paucarumque horarum fuit: ex locis allegatis eluceſcit. Similiter, licet *D. GEORG. GARNERIUS, in Obſ. Schenckio communicatis*, Puerulum cuidam Cæmentario, ex Familia Samborum, Clodiæ Ann. 1577. d. 3. Julii, ſine ullô Ani veſtigiô foris apparente, natum, nihil neque per Anum neque per Virgam, omnibus quibus vixit diebus, (vixit autem ad *12.* usque) excreviſſe affirmet: Unde Affectionem Marmoream, Urethræ non minùs quàm Podicis Atreſiam involventem, quis concipere poſſit: Aliter tamen ſentire jubent ea, quæ per Anatomen Infantis deprehenſa & cognita idem recenſet. Nempe Inteſtina, circa finem, (qui aliàs nullus reperiebatur) ita cũ Veſicâ & ejus Collo confuſa & cōnexa fuiſſe, ut vix divelli ac ſeparari ab invicem potuerint: Muſculum autem Inteſtini recti, totam ejusdem Cavitatem implentem, Collo Veſicæ valdè calloſo ita cohæſiſſe, idemque compreſſiſſe, ut nihil mingere potuerit.

tuerit. Vide *SCHENCK. L. III. Obſ. 28. p. m. 390.* Hæc enim ſententiam de Urethrâ imperforatâ tenere vetant. Licet itidem, in ante laudatis *Ephem. German. Dec. II. Ann. 7. Obſervatio 8. D. SALOM. REISELII*, Anum occluſam ſimul & Glandem imperforatam, per epigraphen, inſinuet; Ex ipsâ tamen Obſervatione attentiùs perlectâ, non Ani adeò atreſiam, quam Inteſtini Coli arctiſſimam in eô, quô ad Rectum accedit, locô, coarctationem; neque Urethram adeò in Glande imperforatam, quàm Urinæ in Veſica defectum: Cauſas fuiſſe conſtat, ut Infans ille Monetarii d. 27. Febr. 1687. Stutgardiæ natus, neque mingeret primis diebus, neque dejiceret; ſed ingeſtum cum Melle Butyrum revomeret: Quarto autem die, profusâ quamvis circa tertium aliquâ Urinæ parte, lentè moreretur.

§. XVII. Quod *Anum ſeorſim clauſum* concernit: Præter antiqua Puerorum, Romæ olim Nurſiæque ita genitorum, ut poſteriore Naturæ parte, (quæ verba ſunt, primi horum Scriptoris *JUL. OBSEQVENT. L. de Prodig.*) ſolidi eſſent, Exempla; paſſim, partimque â *PETRO LAUREMBERGIO in Proceſ. tr. Anat. C. 16. p. m. 208.*, relata: (quibus verò antiquiora, & fuiſſe, & Medicorũ curæ ſubindè ſe obtuliſſe, argumento ſunt antiquiſſima Græcorũ Arabumq; quædam monumenta, Therapiam talium, iis, qui poſtea dicentur, locis inſinuantia:) Præterve eas illius Rei Hiſtorias, quas ex *Argenterio, Benivenio, C. Rhodigino, Wiero, Mercuriali, Marc. Donato,*

nec

nec non ex comunicatione *Caſp Bauhini, Tob. Cneulini, Coſm. Holtzachi, Jac. Oethæi, & Jo. Jeſſenii,* ſollicitè collectas exhibuit *JOH. SCHENCKIUS à Graffenberg. loc. §. antec. cit.;* quasq; indice digitô, *ex Borello, Fabricio Hildano, Minadoo, Zwingero, Schulteto,* hauriendas monſtrat *MATTH. MORONUS, Director Medico Pract. p. 22.;* Aliis etiam aliorum Authorum, utpote *Fel. Plateri, Bald. Ronſſei, Zacut. Luſitani, Hieron. Fabricii ab Aquapendente,* & *Nic. Tulpii* teſtimoniis, novisque Neotericorum Obſervationibus, confirmatam ejusmodi Atreſiam habemus. Quibus verò plerisque ſilentiô jam præteritis, quod variâ occaſione infra ſcribendis commodiùs inſeri poſſint, aliquot tantùm commemorare hôc locô ſuſtineo. Videnturque mihi memoratu potiſſimùm digni recentiores aliqui noſtræ ætatis Caſus, in ampliſſimo raro contingentium rerum Promptuario, quod *Germanica Naturæ Curioſorum Academia* hactenus adornat, occurrentes. Eorum alius â *D. HENR. VOLGNADO, Obſ. 11. Ann. 1. Dec. I. p. 33. & ſeq.* latiùs explicatus, ſumatim ſic habet. Cum An. 1669. Menſe Octobri, quartâ poſt Partum die, Lignarius quidam Faber, natum ſibi, in ſuburbana Vratislaviæ Villa, Puellum, ad modò nominatum Medicum, Curationis cauſa, deferri curaſſet; comperit is, illum optimè quidem cætera conformatum, Anum autem in eodem, utut ritè locatum, non nihil præter ſolitum prominentem, & penitùs coalitu veluti conſutum: Nec niſi leviſſimùm, ac vix ab acutiore oculo ritè diſcernendum, indi-

cium foraminis; pèr Lineolam ſubtiliſſimam, veluti Calamo inſcriptam, deſignati: Nullum quin etiam excrementi alvini, in Inteſtino Recto contenti, ſignum: Dum interim guttatim illud Infans, ſemel atq; iterum, aliquando etiam paulò longiùs, modò tenuè, modô craſſius, prout pauciore copioſioreve Urina dilutum fuit, per Mentulam excrevit; ex quâ non rari etiam flatus, cum ſibilo proruperunt: Ventre attamen manifeſtè intumeſcente. Qui etiam ſequentibus diebus (ſectione nimirum Ani, per lanceolam, lineolæ ſupra memoratæ dextrê quidem & valentiùs bis infixam, ſed ſive ob profunditatem coaleſcentiæ, ſive ob laxitatem corrugatæ in extimo Sphinctere cutis, minimè penetrantem, fruſtrà, ſecundùm factam prædictionem, tentatâ) totus à genitalibus usque ad ſternum ita intumeſcendo elatus eſt, ut tantùm non incluſa ibi Viſcera, præprimis tamen Ventriculus transparerent. Unde ſeptima à Partu die ſuffocatus Infans, miſerrimo Parentũ ſpectaculo, obiit. Alius à D. SACHSIO notatus, atque commemorato D. VOLGNADO communicatus, ab eodem *in Scholio citatæ Obſervationis* ita refertur: Anno 1663. Menſe Majo, vocatus ad Fabri cujusdam Lignarii recens natum Puellum SACHSIUS, Anulum ejus membranulâ contectum invenit, ſubtus latente coloſtrô nigrô: Is, ſectione Membranulæ adhibitâ, & ſuppoſitoriô abſterſivo & dilatante ſubmiſſô, Operationem faciente Chirurgô *Neugebauerô*, feliciter reſtitutus eſt, & aliquot annos

annos vixit. Alius *Obſerv. 22. Ann. II. Dec. I. â D. LAURENTIO WOLFSTRIGEL* inſertus, ejusdemque quoád rem præſentem hæc ſumma eſt. Cum anno 1670. Ancilla quædam, ex illicito concubitu, ad noni uſque Menſis initium prægnans, d. 15. Octobris, Viennæ fœtum quendam, quoád externa Maſculum, eumq; Agrippam (& hinc in ipſo Partu, diutiùs morante collô, ſuffocatum) enixa, isque examini curioſiori & Anatomiæ ſubjectus eſſet; præter alia notatu digna, Anus etiam deſideratus fuit. Loco illius autem eminentia quædam calloſa, ad Lineam Scroti usque protenſa, apparuit; atq; contrectatâ manibus Anatomici eâ parte, Meconium per penem prodiiſſe compertũ eſt. Unde ſtatim conjectatum, Naturam viam pro alvinis excrementis per Membrum affectaſſe. In quam quando Abdomine apertô inquiſitum eſt, Inteſtini Recti ea conſtitutio ſeſe Spectatorib⁹ obtulit; ut â Cólo protenſum, eo loci, ubi aliàs Veſica locari ſolet, in appendicem Veſicæ æmulam (hæc enim pariter deficiebat) dilataretur, ac tandem non per Anum, ſed antrorſum, Membrum virile pendulum Præputio ſuo munitum referens, extra Corpus finiretur. Alium, eumque ter geminum, conſignavit *D. SIMON SCHULTZIUS*, ejusdem *Dec. I. Ann. III. Obſ. 2. p. 4. & 5.* Quippe in qua *Primò* de Puello Nobili Polono, 4. Dierum, Anno 1662. d. 25. Martii Thorunium adductô, traditur: Cui orificium Inteſtini Recti, carne & cute obductum, Chirurgus illius loci, *Anthonius Statlender*, felici ſe-

ctione, Crucis formâ, per acutum Scalpellum factâ, aperuit; apertumq; (eductis nigris & fœtidisſimis Excrementis) & ſuô officiô aptum ſervavit: tum Canaliculo argenteo, quem linimento anodyno inunxerat, in foramen impoſito; tum Medicamentis deſiccantibus & Cicatricem inducentibus, lege artis, adhibitis. *Secundô*, de Filio Ruſtici cujusdam, 8. dierum, refertur: Cui Anus naturaliter adeò occluſus fuit, ut nullum Veſtigium, ubi Sectio commodè fieri poſſet, apparuerit, cum maximâ Ventris intumeſcentiâ. Quem tamen, Anno 1661. d. 8. Junii, idem Chirurgus, Sectione æquè felici, & forcipis deinde foramen dilatantis, ac linamentorum tortilium, ad Partem affectam efformatorum Oleoque ovorum inunctorum, uſu commodè curavit. *Tertiò* Filioli Conſulis Thorunienſis, clauſum pariter anum, ſine ullo indicio, habentis, infelicior, ſub idem anni tempus, ab eodem Chirurgo ſuſcepta, Sectio proditur. In cujus poſtridiè mortui Abdomine, Cultro anatomico aperto, inventum perhibetur Inteſtinum Rectum, longitudine novem digitorum transverſorum, ad Podicis usq; locum, firmiſſimè & arctiſſimè, ad funis modum quaſi contortum; nullô planè meatu aut hiatu conſpicuo. Recentiſſimos duos *D. GEORG. FRID. FRANCUS*, & *D. SAM. LEDELIUS* attulerunt, *Dec. III.* Ille, *Ann. I. Obſ. 123. p. 206.*: Hic, *Ann. II. Obſ. 50. p. 60.* Alter de Puellô eſt: Alter de Puellâ. Atq; de illo quidem Wittebergæ, nuper nato, ex dictâ Obſervatione *priori* intelligere licet, quod cætera benè

benè formatus & ſanus, cum ſpatio nycthemeri, (datô quamvis ab obſtetrice Syrupô leniente) nihil Meconii redderet, ſubinde autem ſtercoroſas feces vomeret, Medici Chirurgique tum inſpectioni, tùm operæ commiſſus; inq; eô Tuberculũ quoddam leve, inſtar Verrucæ minoris, locum, qui ordinariè Ano debetur, obſidens, Porta autem pro eliminandis ſtercoribus planè nulla deprehenſa: Cæterùm ferrô, circa locum Tuberculo notatum, etiam ad duas Uncias, profundiùs adactô, apertura incaſſum tentata ſit. Tametſi enim è vulnuſculo, primùm quidem nihil niſi ſangvinem ſtillante, nec ſtylum immiſſum transmittente, poſtridiè pauca quædam viſcida excrementa, in imo illius ſtabulantia, Volſellâ Chirurgi extracta fuerint; Vomitu tamen alvinarum fœtidarum fecum aliquoties redeunte, & accidentibus denique convulſivis motibus, tenellum Corpuſculum mirè concucientibus, alterâ â Sectione die, funeſtô exitu extinctus eſt. De hâc, Puellâ) quæ Grünebergenſis fuit, poſterior Obſervatio hæc ſuggerit. Qvod qvartô â Partu die inflationem Abdominis cum levi convulſione faciei & vomitu paſſa, ex ſuppoſitorii Clyſteriſque applicatione minimè ſucceden te, clauſa Anum â Medico judicata; at ſeptimâ demũ die, deliberãtibus de perforatione per biduum Parentibus, Sectionem nec fruſtraneam, nec proficuam tamen experta ſit: Nullis, nec ſtatim, (ubi aliquid ſeri & ſangvinis cum Enemate prodiit,) nec poſtea, Excrementis per viam ordinariam egeſtis

E gestis

geſtis; ſed iis omnibus, uti & aſſumptô Oleô Amygdalarum dulcium, Maternôque Lacte cochleatim infusô, nec non Clyſteribus in anum injectis, (quod argumentum remoti in Ano impedimenti fuit) vomitu ejectis & per os excluſis: donec duodecimo die obierit.

§. XVIII. De *Meatu Urinario ſeorſim*, & quidem *in Maſculis, occluſo*, ſive neceſſario foramine ſuô, ſuôve in loco, deſtitutô, Exemplorum (qualia jam pridem animadverſa eſſe, vel locus *ARISTOTELIS, de Generat. Anim. 4. c. 4.* indicat,) antiquorum quoddam extat apud *JUL. OBSEQVENTEM;* de Puerô olim ſub C. Claudii & M. Perpennæ Conſulatu ex Ancilla natô, ſine foramine Naturæ, quâ Humor emittitur; Idque ex *illius C. 113.* (Phraſeos ſaltim cauſâ) notavit etiam *D. HARTMANNUS Ephem. German. Dec. II. Ann. 5. Obſ. 68. p. 153.* Aliud, idemq; duplex, apud *BENIVENIUM de Abdit. Morb. Cauſ. c. 7.* occurrit. Nempe de *Pauli Bonini* filiô, quem novit Author, Glande Colis clauſâ natum, paulò infra eam itinere patefactô, Urinam reddidiſſe: Deque altero Puero; qui, cum Meatus ille, ex quo fluere Urina ſolet, ipſi clauſus obſtructusque eſſet, ut mejere inde non poſſet, ex anguſto admodùm foramine, quod paulò infrà Glandem Urina ipſa vi ſuâ effecerat, emingere viſus eſt: ſed non absq; ingenti ejulatu & genitalis Membri tumore. Rurſus aliud, *DODONÆO* quoque *in Annot. ad Cap. 28. Benivenii* notatum, ut & unà cnm *Beniveniano* â *SENNERTO L. III. Prax. Part. 8. Sect. 2. c. 9.* & *Part. 9. Sect. 1. cap. 10.*

(quem

(quem in locum dubio procul digitum intendit *BORELLUS Cent. I. Obſ. 77.*) adductum, habetur apud *AMAT. LUSITANUM Cent. I. Curat. 23.* de Infante duos, cum ipſi videndus obveniret, annos natô. Cui ab ortu ſuô Glans Perforata non fuit, nec veſtigium aliquod in eâ, ubi foramen eſſe debuerat, apparuit: Quamvis ad radicem Membri, propè Teſticulos, foramen aliquod eſſet, per quot Lotium non guttatim fluebat, ſed directè emanabat. Aliquod etiam apud *RONSSEUM Epiſt. 14. p. m. 55.* Cujus interim Verba nonnihil obſcuriora ſunt, quando ſcribit: *Neque novum eſt, in Maſculis à Nativitate, aut ipſum Penis Glandem, aut Præputium non eſſe perforatũ; illud* ὑποσπαδιαῖον *hoc* φύμωσιν *appellant. Poſtremum in Adoleſcente, viginti plus minus Annos nato, Anno ni fallor 1559., Goudæ curavimus, Inciſione rectâ lineâ, â ſumma Orá Cutis usque ad frenum, facta.* Geminum quoq; apud *TULPIUM L. IV. Obſ. 36.* Alterum ſcilicet de Filio Nummularii Brittannici, cætera ſani; cui jam indè usque ab incunabulis Coles impervius, ſine Urethrâ, ullôve ſeu Lotii ſive Seminis ductu fuit: Cujus tamen Lineamenta quædam videbatur quaſi adumbrare incurvus aliquis Sinus, in Colis cute ſubtus excavatus: Fluente interim Urinâ per exile aliquot foramen, quod in Scroti rugis devia efformaverat Natura. Alterum Junioris cujusdam Hermaphroditi; cui non per Colem, nimis teretem Urina profluxit, ſed per anguſtum aliquem ductum, inter labia ſinus pudoris deliteſcentem, atque tunicis undiquaq; adeò coagmentatum ob-

ſeptumque, ut vix videretur pervius, & maturâ ætate ulli uſui ipſi futurus. Accedunt his proximis ab hinc Annis, *in Eph. Germ. Curioſ.* relata. Unum à *D. REISELIO, Dec. II. Anno 7. Obſ. 8.*; quod obveniſſe ſibi ſcribit Menſe Februario Anno 1686. Dum Puerulus Agricolæ, undecim Menſium, conſilii cauſa ipſi oſtenſus fuit: in quo Glans denudata & Præputio largiori criſpata imperforataque, Virga per frenum ſcrotô arctiùs alligata, loco foraminis in Glande foveola, foramen vero aliud, per quod mingebat parvulus, à naturâ aberrante in Scroto poſitum apparuit. Aliud à *D. HAESBART, Obſ. 74. Anni 10. Dec. II.* quod in Vice-Capitaneo, olim Condiſcipulô ſuô, obſervavit. In cujus Virgâ Præputium retractum & Orificium clauſum, aſt cultello apertum fuit; ipſô poſt ſectionem Colis ſuperſtite, & adhuc, cum Obſervationem ſcriberet Author, vivente. In *Fœmellis* ſimiliter eandem Urinæ viam ſeorſim, atq; intra uteri quidem materni carceres, præſtructam inſinuant, *BENIVENIUS* iterum *Cap. alleg. 90.*; Dum Puellæ Nobilis meminit, cui ex loco, qui eſt infra Pectinem, paululum ſuprà Vulvam, Urinam emittenti, nulla interim ſigna atque indicia ibi, ubi ipſa naturaliter efferri debuit, apparuerunt: Et, citante *SCHENCKIO L. III. Obſ. 344. Scholiographus ad L. I. Galeni de Loc. Affect.*: Ali-
"quando, ſcribens, naturali vitio, Meatus Urinarii
"clauduntur: ut in Virgine quadam animadverſũ,
"cui Urina per ſedem reddebatur. Ut &, allegante *BORELLO Obſ. 78. Cent. I.*, *CABROLIUS in ſuis Obſer-*

vationibus

vationibus, de Puella 17. Annos nata referens: quæ cum arcta nimis eſſet, à Menſtruis retentis tumefacta & quaſi prægnans reddita fuit; Urinam verò per Umbilicum reddidit: Attamen ab illo feliciter Scalpello è vitæ periculo erepta fuit. Nec plures adjicere nunc Hiſtorias ſuſtineo, pagellis jamdum præter intentionem auctis: Quamvis plurium, tùm hujus generis, tum aliarum antecedentibus affinium, meminiſſe ſingulasque diſtinctiùs enarraſſe, vel eô nomine, proficuum foret; quod robur & confirmatio omnium, quæ de *Affectione Marmorea* ampliùs dicenda ſunt, ab ejusmodi Obſervationibus pendeat.

§. XIX. Quemadmodum enim, per hactenùs allegata Exempla, ſuô jam lumine radiare exiſtimo, quæ §. 15. de *Subjecto Subſtantivo Partiali*, ſive Partibus in Affectione hâc affectis, aſſerui: Ita pariter, ex iisdem & ſimilibus, agnoſcitur facilè *Modus*, qui aliàs dicitur, *Affectionis*; ſive Ratio aut Conditio Clauſuræ, tùm Ani, tùm Urethræ: eaq; diverſa. Diverſitatem, quam innuo, arguunt, tum *Subſtantia claudens*, tum clauſi utriusque carnalis *varius coalitus*. *Illa* aliàs, & potiſſimùm quidem in Ani Atreſiâ, est *Membrana, à Cutaneis Integumentis diſtincta*; quæ ſive *Oſtium ipſum* Meatus clauſi *præcingit*: (quomodo Puerulam Hebræi cujusdam Piſani, Inteſtinô circa finem membranâ obductô, ita ut per Anum excernere non poſſet, natam novit MARCELL. DONAT. *Hiſtor. Mirab. Med. Lib. 6. c. 3.* Et alteri duorū puerorum, quos ab utero Matris naturalibus clauſis natos vidiſſe ſe ANTON. BENIVENIUS, *de Abdit. Morb. Cauſ. c. 30.*

c.30. refert, Membrana quædam ipſius tantùm Ani Ori opponebatur; quâ acutiori ſcalpello præcisâ, ſtatim ſanatus eſt Puer:) ſive *Cavitatem Canalis*, aut *propè exitum*, aut *altiori loco*, parietis inſtar integerrini, *interſtingvit*: (ſicut hoc quidem in Infante *PLATERI*, cujus §. 16. memini; quippe in quô Membrana tránsverſa Podici obducta, poſt vitam demùm, profundè, & ad duos usque digitos, per ſpongioſam Carnem & Adipem, adactâ novaculâ, ſe oſtendit: Illud in aliis nominatorum ac nominandorum, contigit:) Eaq; vel *una* & *ſimplex*; atq; iſthæc *jam tenuis* & rumpi forariq; facilis: (qualem intellexiſſe *PAUL. ÆGINETA* videtur, cùm *lib. 6. c. 81.*, indice „*SCHENCKIO p. m. 382.* Pueris ſcribit, recens natus A„nus ex natura aliquando imperforatus reperitur, „eò quòd Membrana adeſt obſtruens, Si igitur hoc „fieri poterit, ipſis digitis membrana diffringatur, &c. „qualemve quamvis in prole Maſculini Sexus, Pagi „Bercau, Goudanæ Civitati vicini, Anno 1583. à ſe „viſam neget *BALD. RONSSEUS. Epiſt. Med. 14.*; Neque „inſolens, interim infit, eſt pueros tenui pelliculâ, a„no obductâ naſci, quæ niſi ſtatim opera obſtetricis aut „alterius præſcindatur, periculum eſt, ne retentis Excrementis, Puſio tandem ſuffocetur:) Jam *denſior & validior*: (Cujusmodi quidem, ſcalpello opus habentem, Puello à *Sachſio* Anno 1663. obſervato & curato fuiſſe, *VOLGNADIUS* cenſet, quamvis membranulâ tantùm contectum Anum ex ſuperiùs §. 17. recenſitâ Hiſtoriâ acceperimus; ſimile huic Exemplo etiam illud Pueri Franckenhuſiani in Thuringiâ exiſtimans, quod *Jac. OETHEUS lib. Obſ. propr.* attulit,

attulit, referente *Schenckio p. m. 389. Libr. 3.:* Et *BORELLUS Cent. I. Obſ. 77.* indicat; quando relatum ſibi à Dn. *Tirefort.* Seniore, Chirurgo Caſtrenſi, refert, quod Puerum curaverit, qui Podice imperforato natus erat: idque Scalpello & ruptione membranæ craſſæ, quâ obtegebatur.) Jam *prædura:* (ut in Caſu Infantuli, Anno 1593, in oppido *Medmann* propè Duiſſeldorpium, in Ducatu Montenſium nati; quem *GVILHELM. FABRICIUS HILDANUS Cent. I. Obſ. 73.* retulit:) Vel *duplex aut multiplex:* Quemadmodùm in Filiolâ Vratislavienſis cujusdam Cauſarum Patroni, *Caſpari John,* (de quâ obſervatio *JOH. JESSENII à JESSEN,* tùm in *Inſtitutionibus Chirurgicis ipſius Autoris p. m. 40.* tùm apud *SCHENCKIUM p. m. 391. Lib. 3. extat,*) monſtrante poſt obitum Anatome, Inteſtinum rectum, præter unam aut alteram concretionem plura Diaphragmata (quæ verba ſunt *Jeſſenii,*) ſpectanda exhibuit. Interſepiebatur enim (uti apud *Schenckium* legimus) illud bis orbiculari membranâ, bis lateribus concreverat: adeoque non Nodulo tantùm ſtimulante & lenticulari ſtylo, fecibus extrahendis apto, ſed & teliformi ferro, citra hæmorrhagiam per ſolidiorem membranam inferiorem feliciter adacto, ſubmiſſoque Clyſtere, fruſtra alvus ſolicitabatur: fatô Sectioni, tertiâ die, ſuperveniente. Aliàs *Cutis craſſa & corrugata vel calloſa.* Quâ ratione Puerum à *Volgnado* obſervatum, de quo §. 17. dictum eſt, ob laxitatem corrugatæ in extimo Sphinctere Cutis, non minùs atque ob profunditatem coaleſcentiæ, ſuperficietenus tantùm, ab acie Inſtrumenti, etiam valentiùs, & bis adactâ vulneratum

neratum intelleximus: Et Ancillæ ille fœtus, de quo Obſervatio *WOLFSTRIGELII* pariter §. 17. relata eſt, loco Ani, Eminentiam quandam calloſam, ad Lineam usque Scrotum dirimentem protenſam, exhibuit. Aliàs, innuente etiam *RONSSEO l.c.*, *Caro* eaque ferè *durior;* ſive nuda aut *ſola;* ſive (quod, judicante iterum *VOLGNADO in Schol. Obſ. citat.* ſœpiùs fortaſſe contingere poteſt,) *Cute veſtita* aut *comitata*. Sic Muſculum Inteſtini recti totam hujus Cavitatem impleviſſe, ex *Garnerianâ* Obſervatione, in antecedentibus adductâ, conſtitit. Et alteri Puerorum, de quibus *BENIVENIUS l. c. c. 30.* retulit, Caro quædam in Ano altiùs increverat, adeò ut Inteſtini exitus percipi nullo modo poſſet. Pariter Puellæ à *D. Zachariâ FURST* in Rheinfels viſæ, de quâ paulo poſt dicem⁹, Carnem duram, maculâ quadam, inſtar Cicatricis, inſignitam, in Ani loco extitiſſe, ex *EPH. GERM. CUR. Dec. II. Ann. 3. Obſ. 112. conſtat.* In Nobili verò Puello Polono, de quô Obſervationem *Schultzianam* ex iisdem *Ephemerid. Dec. I. Ann. 3. Obſ. 2.* ſupra recenſuimus, Orificium Inteſtini Recti Carne & Cute obductum accepimus. Sicuti in Infante Maſculo *PLATERI*, podice carente nec Urinam reddere potente, (de quo itidem §. 16. retulimus) conſideratô poſt obitum & ſectô, quod omninò coaluerat, præputiô, foramini glandis innatum illud, penitùs id obturaſſe atque occluſiſſe deprehenſum eſt. Poſſisque hùc etiam referre *Tuberculum Verrucoſum*, locum qui ordinariè Ano debetur obſidens; Cujus mentio facta in *Obſ. 123. Ann. I. Decad. III. E. G. C.*, ſuprà §. 17. citatâ. Aliàs *Oſſea* ſimul deprehenditur: Prout *Os Coccygis* in Ani locum

locùm ſucceſſiſſe, ex *HARTMANNI* relatione, §. 16. percepimus. *Concretionem* verò, ſive *Coaleſcentiam*, aliquando advertere contingit *minorem*, *leviorem*, *nec admodùm profundam*; uti in Infante, de quo deinceps dicemus, *WIERI* talis fuiſſe videtur: Interdum *major*, *arctior*, & *profundior* obſervatur; nempe non exiguâ Inteſtini poſtremi aut Urethræ parte coalitâ. Hujusmodi, quantum ad Inteſtinum, narratur *Obſ. 257. Ann. III. Decad. I. Epb. Germ. Cur.*, quam *D. DAN. LUDOVICI* ad ante recenſitam *Volgnadianam* contulit. Ad duorum enim Auricularis Digiti articulorum longitudinem adactâ â Chirurgo Lancettâ ſuperatum denique eſſe coalitus finem, inibi leges. Sicuti ex Hiſtorâ *D. FRANCI* §. 17. expoſitâ, Ferrum ad duos ferè Uncias profundiùs adactum, vix attigiſſe fecum alvinarum locum, intelligere licuit. Pariter Inteſtini & Urinarii Canalis Concretio, ſubinde *ſimplex* tantùm & una, eaque in extremâ potiſſimum illorum parte; nonnunquam *geminata* eſt & pluribus in locis. Ceu in filiola Cauſidici Vratislavienſis, â *Jeſſenio* ſectâ, Inteſtinum Rectum bis lateribus concreviſſe, paulo ante traditum eſt. Inprimis autem notatu dignum; quod σύμφυσις iſtiusmodi, (nec minùs verò & alterius generis Clauſura) aliàs *malam* ſimul, Ani & Longanonis vel Urethræ, *Conformationem*, ut & *quantitatis mutationem*, nec non quandoque eorundem *Dislocationem*, & *inuſitatam* cùm aliis Partibus *Connexionem*, conjunctas habeat: aliàs *ſolitaria* ſit; nullô quâ naturalem *formam*, aut debitam *quantitatem*, aut convenientem *ſitum*, Vitiô in ipſis occurrente. Sic in Fætu monſtroſo *Hartmanni*, Inteſtinum

Rectum fæcibus vacuum & album, nullamque Ejus ad Colon proportionem fuiſſe, quin pennam tantum Olorinam craſſitie ſuâ adæquaſſe, & quaſi Ligamentum Colo annexum præ ſe tuliſſe, atque ad Umbilicum cum Vaſis Umbilicalibus deſiiſſe, ſuperiùs conſtitit. In puerô ſic etiam Cæmentarii Clodiani, ex *Garneriana* Obſervatione itidem §. 16. deſcripto, ſingularis Inteſtini cum Veſicâ & ejus callosô collo connexio Sphincteriſque inſolita tum magnitudo tum conſtitutio alia obſervata fuit. Et in Puellô Lapidicidæ Scaphuſani, Anô carente & excrementa alvi cum lotio tranſmittente, de quô Obſervatio *Coſmæ Holtzachii* apud *Schenckium* quoque eſt *Lib. III. p. m. 387.* factâ poſt mortem ſecretâ diſſectione, evidenter apparuit, Extremitatem recti Inteſtini, quâ conſtare debuiſſet Anus, Corpori Veſicæ, inſtar Uretherum, ſed rectâ (non per obliquum uti alias Uretheres ſolent) inſertum fuiſſe. In Filiolo autem Conſulis Thorunenſis, cujus §. 17. ex traditione *Schultziana* mentio facta eſt idem Inteſtinum, longitudine novem digitorum transverſorum, ad Podicis usq; locum, firmiſſimè & arctiſſimè, funis inſtar, contortum, nullusque planè illius meatus aut hiatus conſpectus fuit. Similiter in Nummularii filio, §. 18. ex *Tulpio* commemorato, Sinus tantum aliquis incurvus, in Colis impervii cute ſubtus excavatus, lineamenta quaſi quædam Urethræ adumbrare viſus eſt. Non minus & illud attendendum; quod in aliis, ſive Glandem aut Urinæ Meatum, ſive Anum non perforatum habentibus, nulla plane nota foraminis, quod adeſſe debebat, ſeſe offerat: In aliis Loci, ubi ſe aperire Pars debebat,

bebat, Signum quaſi quoddam & indicium adſit: aut lineolâ nimirum, aut maculâ, aut eminentiâ aliquâ, aut aliò magis minusq; conſpicuò veſtigiô comparente. Ita Puerulus iterum, â *Garnerio* viſus, ſine ullo, ut diximus, Ani veſtigio foris apparente natus fuit: Et in filiolô Ruſtici, à *Schultzio & Stadlendero*, An. 1661, juxta relationem ſupra factam, curatô, nullum itidem veſtigium, ubi ſectio comodè fieri poſſet, apparuit: Inq; eô etiam, quem FABRICIUS HILDANUS, *Anno* 1539., in oppido Medman prope Düſſeldorpium in Ducatu Montenſium, è Mortis faucibus ſectione eripuit, præter maculam nonnihil lividam, nullum ferè indicium aut veſtigium Ani obſervatum eſt; ipsô ſcribente *Cent. I. Obſ. 73.* WIERUS vero, quod mox audiemus, exiguum fiſſuræ veſtigium in ſuo vidit. *Volgnadus*, vi Hiſtoriæ ante recenſitæ, leviſſimum ac vix ab acutiore oculo ritè diſcernendum indicium foraminis, per lineolam ſubtiliſſimam velut calamo inſcriptam deſignati, notavit: *Fürſtius* in Puellâ, ipſi ab *Huxoltio*, cum octo circiter ſeptimanarum eſſet, in Rheinfels oſtensâ, quam invenit Excrementa per Vulvam emittere, Naturam Ani loco, maculam tantùm in Carne durâ, tanquam vulneris ſanati Veſtigium, delineaſſe ſenſit, & ſignificavit *E. G. C. Decad. II. Ann. III. Obſ. 112.*: Atque *Francus*, Obſervatione iteratò allegatâ, locum Ano debitum tuberculo levi, inſtar Verrucæ minoris, notatum expertus eſt. E diverſô, in Infante duorum Annorum, cujus ex *Amato Luſitano* §. 18. meminimus, Glandem ab ortu non perforatam habente, nec veſtigium aliquod, in eâ parte, ubi foramẽ adeſſe debuerat, comparuiſſe, Autor aſſeruit: Pari-

lique ratione *Antonius Benivenius*, in Puellâ nobili, dictâ §. 18. eo nomine, quod Meatum Urinarium Naturalem clauſum haberet, adductâ, nulla plane ſigna atque indicia ibi, unde Urina naturaliter efferri debuit, adfuiſſe fidem fecit. Denique & hoc tenendum: Quod occluſio Anivè Urethævè, ſive intercedente aliâ ſubſtantiâ, ſive ſine eâ accidat, rariùs *Imperfecta* & minus abſoluta; ſuperſtite nimirum aliquando exiguô quodam foraminulô, aut parvâ alioqui rimulâ: ſæpiùs *perfecta*, plena, totalis & conſummata ſit. Hujus Exempla pleraque productorum ſunt: Illius, quà Anum, geminum adjicere juvat. Alterum, quod jam tetigimus, *à JOHANNE WIERO Med. Obſerv. rar. Lib. 1. p. m. 106.* alterum *à JOH. SCULTETO* in *Armamentar. Chirurgico Obſ. 71. Edition. Germ. Francof. p. m. 171.* allatum. Ille concreviſſe, i. e. concretum fuiſſe, ait Infanti recenter nato Anum; veſtigiô tamen exiguô fiſſuræ, Liquori transmittendo idoneæ, relicto, quod ſepimentum ad juſtam naturalis hiatus diviſionem diſſectum fuerit. Hic Anno 1640. *Jacobo Neubrünnero*, Civi Ulmenſi, filiolum natum ſcribit, tam anguſti Podicis, ut aciculæ communis cuſpidem vix admitteret: Eum vero, (cum Parentes ſectioni reluctarentur:) immiſſis in foraminulum penicillis ex rad. Gentianæ, Oleo illitis, ita ampliatum, ut officio Egeſtionis ſufficeret, indicat.

§. XX. Atque hæc ipſa, hactenus *de Affectionis modô* propoſita, fundamentum faciunt *Primariæ*, quæ in Affectionem Marmoream (inprimis illam, quam Ani atreſia abſolvit) cadit, *Differentiæ*. In quâ explicandâ cum ſuam jam tum induſtriam probavertit

verit laudatus aliquoties *VOLGNADUS, in Scholio obſervationis pariter aliquoties citata*, operâ illius uti Lectorem jubeo potiùs, quàm rem actam ago. Eſt tamen, quod moneam: Rectiùs, me judice, Affectionem noſtram diſtingvi poſſe, *primùm* in *latè* aut, quod malim, *impropriè* ita dictam; & *ſtrictè* vel *propriè* ſic appellatam. Illam, quæ *Anguſtia* ſive *Conniventia VOLGNADO* dicitur, (nempe tum Podicis tum Urethræ, non quidem omninò nullô, ſed arctô nimis atquè exiguô, nec ad uſum ſufficiente foramine patentis,) cujusvè Exempla ſub fine §. *anteced.* exhibita ſunt, *Imperfectam* vocaverim: Hujus, quæ *Perfecta* audiat, *duas* iterum *Species* fecerim. Unam *Clauſuram*, quam iterum *VOLGNADUS* nuncupat; nempe obſtructionem Inteſtini aut Ductus Urinarii, alias ritè conformati & conſtituti, per Membranam aut ſubſtantiam aliam: (Aliam enim à Membranâ ſeſe offerre aliquando, ex ante dictis certum, ſimulque, per Exempla adducta, evidens eſt πάρεργμα, tum *NICOLAI FLORENTINI, Serm. 7. Trad. 3. c. 37.*, Siphac tantùm, i. e. Peritonæum, ſubtile hîc accuſantis; tum *PETRI BORELLI, Cent. III. Obſ. 9.* confidenter nimis, inſtar Tonſoris illius temerarii & præſumptuoſi, quem *Holtzachius Obſerv. citat. l. c.* appellavit, aſſerentis: *Membranis tantum ſcalpello amovendis tegi podicem non perforatis.*) Alteram *Coalitum*; nempe earundem Partium, malè ſimul aliquando atque ita conformatarum, ut foramen non tantùm præſtructum, ſed planè non efformatum habeant: Exemplis itidem, quæ varia apud varios & ſuperioribus etiam Theſibus extant, fidem facientibus. Atque hunc quidem, certâ ratione

ſtrictiſſimè

ſtrictiſſimè Affectionem Marmoream appellari poſſe exiſtimaverim: quamvis, aliô reſpectu, & eum illorum, qui ſine utroque aut alterutrô foramine naſcuntur, Infantum Statum, quando nulla prorſus via excernendis tum Urinis, tum alvinis fæcibus alibi comparata eſt, ſic dici poſſe minime negaverim. Qvibus poſitis, poſſis ſimiliter Affectione hâc affectos & à Genere illius ſingulare nomen apud Pathologos habentes, diverſi generis haud incongruè conſtituere.

§. XXI. Id ut clariùs appareat, atque ſimul Veritas illius, quod de *Objectô Repræſentativo* §. 15. traditum eſt, eluceſcat, attendi ex ante recitatis Hiſtoriis meretur, quod Maſculis æquè ac Fæmellis diverſimodè ſubire hoc Malum contigerit: ut *Communem* utrique Sexui Affectum, quod Definitio §. 12. inſinuat, nullo negotio hinc intelligere liceat. *Infantum* vero vocamen ut inibi adjiceretur, factum ideò eſt, quod Medicinam κατ' ἐξοχὴν ſic dictam, ſive Anthrop-Jatricen, curæ cordique habens, Brutorum adeò conditionem & conſtitutionem non attendam. In quibus interim perfectioribus ſimilem Affectionem ſubinde obtinere haud negaverim; non unô Exemplô rem ita ſe habere, commonefactus. Nimirum & *Vaccæ*, quam Perinthi vixiſſe non ſolùm cum Imperforatione, (cum ei Excrementum attenuatum per Veſicam tranſmitteretur,) verùm etiam, quoties ope Medici aperiretur, toties iterum clauſam fuiſſe, jam pridem *ARISTOTELES* 4, *de Generat. Animal. c.* 4. & ex eo *MERCURIALIS loc. cit. p. m.* 134., & ex hôc *SCHENCKIUS Lib.* 3. *p. m.* 390. prodidit: Et *Agni*, abſque Podice nati in Villâ Podii S. Jacobi Carthuſianorum Caſtrenſium, atque ab Antonio Deſpler apertione, adeò ut vixerit, curati; de quo *BORELLUS Obſ. cit.* 9. *Cent.* 3. tradidit. Placuit verò, ex eâ etiam causâ, *Infantibus* adſcribere hoc genus Morbi, ut adultis quantumvis quibusdam, juxta Obſervationes quaſdam allegatas, etiamnum adhærens Malum, per omnem attamen Ætatem, quæ anteceſſit, iisdem adfuiſſe, nec, niſi ab

ipsâ

ipſâ nativitate ſeſe offerentem, Urethræ Anive atreſiam, Affectionis hujus Nomen rectè demum ſibi vendicare, non minùs hôc terminô, atque adjectâ in Definitione voce, *Connata*, indicarem. Etenim cum Experientiæ ductu diſcamus, ſubinde evenire ut poſt exactum vitæ aliquod ſpatium, clauſæ in aliquibus deprehendantur vel Urinæ vel Homerdæ conſvetæ Viæ, quæ per ætatem ante actam naturaliter patulæ erant: Innuente etiam id, de Ano, *PAULO ÆGINETA in Chirurg. ſuâ. lib. 6, c. 81.*, quando; *Quandoquidem*, ſcripſit, *etiam perfectis ſæpè, propter Ulcus non probè curatum, concretio in Ano contingit, etiam hanc Inſtrumento commodè diffringere & curationem accommodatam facere oportet:* Et aſſerentibus ſimiliter *ALBUCASI Chirurg. lib. 2. c. 29.*, *HALI-ABBATE Pract. Lib. 1. c. 63*, nec non *NICOLAO FLORENTINO loc. cit*: Confirmante quin etiam (ſed Exemplis non ſatis congruis ex *Argenterio* & *Benivenio* petitis) *DAN. SENNERTO, Med. Pract. Lib. III. Part. II. Sect. I. c. 3. p. m. 197.* (Tametſi nunquam ſe hoc vidiſſe, & vix credere poſſe, hujusmodi caſum dari, propterea, quod oporteat anum frequenter aperiri ad fæces excernendas, glutinatio autem in tam brevi ſpatio ſuccedere non poſſit, & præterea ad hujusmodi Partem colluvies humorum & excrementorum, glutinationem prohibens, perpetuò confluat, fateatur *HIERONYM FABRICIUS AB AQUAPEND. de Operat. Chirurg. C. 88. p. m. 325.*:) Quemadmodum, ut alios Caſus brevitatis cauſa præteream, vel nuperô Exemplô *Joh. Richteri*, Pharmacopoei aulici Eichſtettenſis compertum eſt: quippe quem ex alvi conſtipatione Ventrisque torminibus acerrimis, fruſtra tentatis omnibus remediis, poſt tres ſeptimanas, obiiſſe; apertô autem Ventre, Sphincterem Ani connniventem, ejusque totalem coalitum viſum fuiſſe. D. *ROSINUS LENTILIUS Eph. Germ. Curioſ. Dec. II. Ann. VII. Obſ. 139.* prodidit: Et quà Urethram certificatur luculentâ Hiſtoriâ, *in Epiſtolis Med. GREGOR. HORSTII, ſect. 19.* conſignatâ, atque â *SENNERTO Lib. IV. Pract. Part. I. Sect. I. c. 3. p. m. 12*

repetitâ,

repetitâ, ibidemque legenda: Affectionem tamen Marmoream ſic affectis tribuere non convenit. Hæc enim proprie & eſt & adeſt, non cum foramina Ani & urethræ connata obliterantur & pereunt; ſed cum nulla in naſcentibus aut nuper natis deprehenduntur: ſive ſupereſſe hos, & ætatis non dies tantùm ſed Menſes annosque attingere, ſive interire brevi contingat: Ceu contigiſſe utrumque ex dictis conſtat, pluribusque infra dicetur. Atque *hi* quidem, præſertim quibus per poſticum egerendi via præcluſa eſt, ſive quibus Ani meatus, (ut inibi legimus) coaluit, indiciô *Lexici Baſileenſis GESNERI & alior. voce* ἀτρητός *p. m.* 253, ab hâc, quæ dictis ipſorum Partibus accedit, ἀτρησία *Proprie* & *ſtricte*, imò *Principaliter* & *abſolutè*, apud Græcos ἄτρητοι; *ARISTOTELI* verò, 4. *de Generat animal.* 4. eos inter Monſtra (perinde ut alii inter Miracula, ſed malè, juxta *Cardanum de Variet. lib.* 8. *c.* 43.) computanti, etiam Ἐπιτόμενες; Latinisque Medici hodiè, transſumptô in Latium Vocabulô Græcô communis Generis, Communi pariter Genere, *Atretæ* communiter; accuratioribus, cùm ſequioris Sexus ſunt, tantùm, ſic cum potioris, *Atreti*: (non autem ut vitioſe apud Mercurialem, Græcâ forte voce, â Scribis corruptâ, uſum, legitur, *Attriti*) Latiniùs *Imperforati* aut *Imperforatæ*, itemque *Orbi* ſeu *Orbati* & *Orbæ* nonnullis dicuntur. Fatendum tamen eſt, noſtrâ ætate, *Atretarum* atque *Imperforatarum* Nomine, *abſolutè ſtrictèq;* notari potiùs Feminas, quæ cum additione quondam ἄτρητοι κατὰ γεννητικὰ μόρια, juxta *Lexicon. Baſil. citat.* vocabantur: nempe quibus aditus ad Uterum, propter ſive pudendi, ſive Vaginalis Orificii, ſive Vaginæ ipſius, ſive Interni etiam & veri Matricis Oſculi, aliàs coalitum, aliàs â Membranâ, (vel *Hymenis* per eminentiam ſic dicti, vel aliâ, plus minus validâ, iisdem aut veli inſtar prætensâ, aut ſepti inſtar transverſi inſertâ) Carne, Fungo, ſimilivè ſubſtantiâ, obturationem, jam inde â natalibus, aut ex accidente poſt nativitatem Caſu, nullus eſt: aut quasve, eâdem ratione, aut *Velatas*, (Italicè vulgò juxta *FABRI-*

CIUM

CIUM ab Aquap. Operat. Chir. c. 82. Operchiatas) aut *Clauſas* vocant. Unde & *Atreſia* Vocamine, ſimpliciter ſic, vel cum adjectô tantùm *Naturalis* aut *Accidentalis* Epithetô, (ut altero quidem connatum Malum, altero adventitium ſignetur) poſitô, antedictum ita comparatarum ſtatum hodie ferè intimari, paſſim advertimus. Fidem dicto facilè faciente vel unicâ *PECHLINI Obſervatione 25. Libr. I.*, cui titulus eſt: *Atreſia Accidentalis & una menſtrua.* Huic quà priorem, quem complectitur, Caſum geminam quodammodò non ita pridem habuiſſe *Excellentiſſ.* DN *PRÆSIDEM*, in filiolâ præſidiarii cujusdam heic loci Militis, duorum circiter annorum; quippe cui, veroſimiliùs ab intertrigine aut excoriatione, quàm à pingvedine, ut Mater voluit, urſinâ, quam puer nequam aliquoties puellæ genitalibus illeviſſe dicebatur, tandem Vulva, interveniente membranulâ albâ, nonnihil etiam durâ, ita coaluerat, ut exiguum foramen emittendæ Urinæ, ſub orificio vaginæ, pateret: quæ vero, ſectione, per Chirurgum *Chriſtianum Anderſen* factâ, haud difficulter curata èſt: id unum hôc locô indicaſſe ſufficiat. Abſit enim, ut hâc occaſione excurram in latiſſimum, qui ſe mihi aperit, de *hujusmodi Atreſiis* & *Atretis* dicendi campum; creſcente jam præter inſtitutum Diſſertationis hujus opere. Tametſi, & Originis & Curationis ratione, affinitas non exigua, eas inter & Affectionem Marmoream, tum illam maximè, quæ Meatus Urinarii inperforatione in femellis abſolvitur, quæve ſocia quandoque eidem fuiſſe deprehenſa eſt; tum & iſtam, quæ Anum imperforatum involvit, intercedat: Innuente hoc ipſum haud obſcurè *ARGENTERIO, Libr. 2. de Cauſ. Morbor. c. 10. p. m. 169.*, ut & *BALDUINO RONSSEO Epiſt. Med. cit. 14.* Interim ſi Exempla talium & Differentiàs, & quæ alia de iisdem notatu digna ſunt, cognoſcere quispiam cupiat; is, præter laudatos modò, *Pechlinũ* & *Ronſſeum*, videre poſſit, tum alios â *Georg. Petro PIERERO, Diſſ. Med. de Natta, in Indice, ſub voce Atreta*, nominatos, tum

inprimis *SENNERTUM loco ibidem citato:* & conferre, ex Recentioribus, *Ephem. Germ. Curioſas, locis* per *Indicem Generalem* facilè cognoſcendis; nec non *JOH. HELWIGIUM, Obſervat. Phyſico-Med. 139., Ejusve* Scholiaſten *LUC. SCHROECKIUM,* & ab hôc allegatos plures; ut & *CORNELII SOLINGEN Oper. Chirurgic. Lib. 3. c. 31 Edit. Germ. p. 314.* vel *Edit. Amſtelodam. hôc Annô proditæ, Cap. 91. p. 211.* Quemadmodum autem aliàs *Atreſia* & *Imperforatio,* juxta ea, quæ jam ſupra *§. 13.* allata ſunt, velut Genus, plures & â modò dicta Mulierum Affectione diverſas ſpecies agnoſcit: Ita ſimiliter ἄτρητοι ſive *Atreti* aut *Atretæ,* vel *Imperforati* aut *Imperforatæ* quotquot nuncupantur Scriptoribus, non eôdem omnes modô, nec eadem omnes Parte affecti, ſunt. *GALENUS* quidem *De Differ. Morb. 10,* quando coalitu Partium fieri ἀτρήτȣς docet, tribus ſpeciatim locis, nempè *Ore, Ano, Utero,* fieri tales aſſerit; citante *CASP. HOFFMANNO Inſtit. Med. Libr. III. c. 134. §. I.* Aſt *3. de Cauſ. Symptom. 5.* etiam *Veſicæ Collum* dictis Partibus adſtituit; indicante pariter, atque alias ſimul *Imperforatorum* Species inſinuante, laudato *HOFFMANNO, Inſtit. Libr. cit. c. 141. §. I.* Quem locum, jam ſupra *§. 13.* allegatum, juvabit jam ipſis Autoris verbis exhibere, quæ talia ſunt. *Ex Ariſtotele,* ait *Scimus I. Hiſt. 2., omnia animalia opus habere trium partium generibus; Ore, quo alimentum capiunt: Ventriculo, quo elaborant: denique illâ, per quam Excrementa exeunt. Quæ cum duplicia ſint,* ſicca & humida, *pro illis quidem Anus eſt factus, pro his autem* Veſicæ *Collum. De Ventriculo hîc dicendi locus non eſt: at quibus vel Os clauſum eſt, vel alteruter exitus, ἄτρητοι (non ii ἄτρευτοι) dicuntur, 3. Cauſ. Sympt. 5. His accedit, in utroque quidem Sexu, Palpebrarum coalitus, meatus auditorii, digitorum &c. In fœminâ duplex aliud malum.* Alterum, *cum Uteri orificium clauſum eſt.* Alterum, *cum Hymen tam denſum & carnoſum eſt, fitq; adeò ſinus pudoris tam anguſtus, ut penem admittere non poſſit. Videtur huic malo proportione reſpondere in Viris, cum præputium*

anna-

annaſcitur glandi. Iſtis verò ita habentibus, poſſis, me judice, *Imperforatorum* & *Atretarum* omne, quod Pathologi commemorant, Genus ita in meliorem ordinem redigere. *Primùm* ſunt aliqui aliquæve *propriè* tales: Quibus nempe nullum, nec minimum quidem, foramen eſt, parte quâpiam, quæ patere illo aliquo debebat. Atque ex his quidem, diverſô reſpectu, *ſtrictè* nonnulli, alii *latè* ſic audiunt. Reſpectu *temporis* & *originis*, illi *latè*, quibus natis demùm aliquod connatorum foraminum periit: iſti *ſtrictè*, quibus inde â nativitate quoddam defuit. Reſpectu *Subjecti*, *ſtrictè* illi, quibus præcipua aliqua & neceſſaria via, ſive admittendi quid intra Corpus, ſive egerendi, præcluſa eſt. Quorum interim aliis contigit, ut *primariò* & *abſolutè* ſic audirent: nempe *olim* Podice carentes; hodiè Feminæ, aditum ad uterum aut non, aut non penetrabilem habentes: Alii *ſecundariò*, & cum προσθέσει ferè Partis affectæ, ita appellantur; nempe Ore clauſi, aut Naribus, aut Urethrâ. Reliqui *latè*: Nimirum quibus vel *M*eatus auditorius, vel Palpebrarum hiatus patulus non eſt; vel quibus, inter Feminas, Papillæ ſuis Poris pertuſæ non ſunt. Reſpectu *Modi*, quô clauduntur, *latè* illi, quibus foramen aliquâ in Parte formatũ quidem, ſed, ſive Membranâ ſive Subſtantiâ aliâ, penitùs obturatum eſt; Cæteri *ſtrictè*; in quibus ſcilicet foraminis cujusdam neceſſarii conformationem Natura plaſmans omnino neglexit. Quâ ratione *Coalitum Ani* patientes, *ſtrictè* Atretas ſive Imperforatos vocari, ſcribere voluiſſe *VOLGNADUM* credo, cum *propriè* tantùm ſic eos dici ſcripſit *in Schol. ſæpè cit. Obſ.* Sicuti & *PIERERUM loc. cit.*, nempe *p. 54 Diſſ. de Nattâ*, τὸ *propriè* pro τῷ *ſtrictè* poſuiſſe adverto, cum: *Atretæ*, ſcripſit, ἄτρητοι, *Imperforati, propriè notant clauſos vel Ano, vel Pene, vel Vulvâ.* *Deinde* ſunt & *Imperforati* ſeu *Atreti Impropriè* à Pathologis ſic vocati, qui Parte quâdam, quam juſto foramine patere conveniebat, anguſtum nimis illud, nec uſibus ſuis ſufficiens habent: diverſimodè rur-

ſus, tum ratione *Temporis* quo affecti ſunt, tum ratione *affectæ Partis*, tum *Modi Affectionis*, diſtingvibiles. Dico: à Pathologis. Incidit enim, *Imperforata* (perinde ut *Imperfoſſæ*; quo Synonymo *Ovidiano* Græcum ἄτρητος vertit etiam GREG. CNAPIUS *in Theſaur. Polonico-Latino Græco p.* 577.) Epitheton, per tropum aliàs, ductu Philologorum, cadere in Mulierem, quæ omnino Virum ignorat: Sive in *Virginem* puram, quam *Signatam* Lucilius, Terrentius *integram à Viro*, Plautus *Pudicam* vocat: indice TAUBMANNO, *Comm. ad Plaut. p.* 263. *Voce: pudica.* Sicuti è diverſo *perforata Mulier* eadem, eſt cum Virgine imminutâ & corruptâ. Quando quidem, quod SCALIGER in *Priap.* & ex eo TAUBMANNUS *Comm. cit. p.* 287. *ad vocem: Inforabis*, monuit, *Perforare*, Græc. τετραίνειν, flagitioſum & ambiguum verbum eſt apud Comicos. Sed iſta obiter. Sicuti & hoc: Quod Feminarum illas, quæ, quà feminæ ſunt, *impropriè* Atretæ ſunt, concipere quandoque, Experientiâ teſte, contingat: Cum, quæ *propriè* atque, Modi potiſſimùm reſpectu, *ſtrictè* tales ſunt, (quas interim, craſſiſſimo licet & validiſſimo Hymene inſtructas, Affectione Marmoreâ affectis non accenſeo) ad concipiendum plane inidoneæ ſint; quippe quæ Spiritum, aſperſi licet genitalibus, fœcundi Virilis ſeminis, nullâ ratione Utero & Ovariis excipere poſſunt.

§. XXII. Cum *primariam* Marmorei Mali *Differentiam* §. 20 eam dixi, quæ ab *Affectionis Modô* petitur; non excidit quidem animo, quod præcipua alioqui Medicis illa, quam Cauſæ Affectuum conſtituunt, habeatur. At verò, ut taceam, id, quod de Affectionis ratione §. 19. propoſitum eſt, ad αἰτιολογίαν aliàs, in ſimilibus Morbis, trahi: Quemadmodum & SENNERTUS, Cauſas *Atreſiæ Uterinæ Lib. IV. Prax. part. I. Sect. I. c.* 3. evolvere ſatagens, Subſtantiæ potiſſimùm claudentis meminit: Ut eatenus *Cauſalis* haberi hæc Differentiâ poſſit: Ea eſt *Cauſarum* verè hîc *Efficientium*, quas *Antecedentes* vulgò dicunt, conditio, ut nullam ampliùs cum Effectu ſuô connexionem habeant; neque vel Differenti-

am

am adeò notabilem, vel Indicationem utilem ſuggerant. Redit enim culpa omnis *ad Spiritum*, in Conceptu qui eſt & operatur, *Plaſticum*; declinantem in evolutione Partium, jampridem in Ovulo humano delineatarum, ab ordine Naturæ. Quod ipſum *MERCURIALIS* agnovit, cum *Cauſam nullam aliam eſſe* Affectionis hujus, *niſi Errorem Facultatis formatricis, loc. cit.* docuit. Is verò, cum contingere hunc Errorem *ab aliquâ Materiæ turpitudine*, vel *propter Motum vel propter alium Caſum*, addidit, obſcurè adeò locutus eſt, difficile ut ſit aſſequi, quid voluerit? Neque ego in explicandô illô laboraverim: Quin paucis tantùm occaſionem Erroris, in quem Spiritum plaſticum agi accidit, partim *ad Imaginationem Maternam*, â Phantasmate quôdã occupatam; (quomodo Mater Infantis, Glandem imperforatam, habentis, de quô Obſervationem *Reiſſelianam*, ex *Eph. Germ. Cur.* §. 18. adduximus, â Terrore, ipſi gravidæ, ab alio Puerulo, qui aliquid præternaturale circa genitalia habebat, illatô, eveniſſe id ei malum haud vanè credidit:) partim ad *Succi Nutricii* quandam, circa Ani aut Urethræ locum, *ſtagnationem caſualem*, referri poſſe, aſſero: Et ſic Scrutinium Cauſarum omne dimitto. Quantumvis enim eſſent, quæ de dictô Spiritu Plaſtico, ipsâque Corpuſculi humani πλάσει; de Imaginationis item Maternæ in illum &, per illum, in Corpus Infantis, maternis adhûc Viſceribus connexi, efficaciâ; nec non de Motu Succi nutritii in fœtu; afferri hûc commodè poſſent: prætermittere tamen iſthæc jubet, tum Rerum quæ delibari adhûc cupiunt, ubertas, tum Chartæ huic Themati deſtinatæ anguſtia. Videat interim, qui volet, de illis quidem, *D. CHRIST. VATERUM, Diſſ. Phyſiol. 3. c. 2.*: De iſtâ *THOM. FIENUM, de Virib. Imaginat, Quæſt. 13. & ſeqv. Concluſionibusque inde â 40 diverſis*; nec non *MISCELLANEA CURIOSA GERMANOR. pluribus, quos Index Sub Tit. Imaginatio monſtrabit, locis*: De hôc *D. JOH. BOHNIUM, Circul. Anatom. Progymn. 2.*

§ XXIII.

§. XXIII. Facit modò dicta pagellarum anguſtia, ut ab *Affectionibus* quoque Affectionis Marmoreæ, Ejusdemque *Effectis* ſeu Conſequentibus, & hinc reſultantibus *Differentiis ſecundariis*, diſtinctè prolixèq; explicãdis abſtineam; atque pauca tantùm Prædicata, quæ ratione certorum attributorum ſuſtinet, quibusve alia ab aliâ differt, breviter ſuggeram. Et ſic Morbus hic, quem ratione Inhærentiæ quidem *Particularem*, nec unius tamen ſemper Partis; ratione ſexus *Promiſcuum*; ratione Ætatis nunquam non *Infantilem*, ceu *connatum*; rariùs etiam *adultorum* eſſe, facilè ex antedictis quivis colligit: Ratione Magnitudinis *haud exiguus* nec contemnẽdus eſt; quippe qui Partes, ratione functionis ſuæ, nempe Egeſtionis excrementorum præcipuorum, admodùm neceſſarias, occupat. Ratione autem Moris atque Modi, quô infeſtat contenditq; ad finem, & hinc Durationis ſuæ, *Benignus* quidem, utpote vi apertâ non dolo, agens; attamen *per ſe* & ſibi relictus, per ſupervenientium ſtatim graviſſimorum, quæ mox intelligemus, malorum vim, *Brevis* plerumquè ac *ſuô modô acutus*: aliquando tamen & *peraccidens* (datà nimirum, ſive per Naturæ benignitatem, ſive quacunque aliâ occaſione, Excrementis, exitu ordinario prohibitis, aliâ & inſolita elabendi rimâ) *Chronicus* haberi cupit. Ratione porro Eventus & terminationis, tum *periculoſus* in ſe omnis, (quippe qui gravem metum, inſignis in Corpore Infantili, totius Oeconomiæ animalis, perturbationis, pejorisquè ſtatus incutit) tum *difficulter* ſæpè *ſanabilis*; aliquando planè *incurabilis*, atque ita *multis lethifer*: aliquibus verò, Curatione quantumvis factâ, *iterum infeſtus*: aliis, ſolutus licet, excitatâ Symptomatum implacabilium Syndrome, *funeſtus*: rariùs, interveniente Artis ope, *facilè & feliciter*; *Naturæ* aũtem ſolius *beneficio*, (utut *ZACUT. LUSITANUS Prax. Med. adm. Lib. 3. Obſ. 96. p. m. 118.* non tantum Nares & Aures, ſed alios quoque meatus exteriùs obturatos, proceſſu temporis, ab ipſâ,

ſâ Naturâ reſerari, occaſione Hiſtoriæ, Virum ex puellâ factum referentis, *Auicenna* ductu, doceat;) *vix* unquam ſolubilis: attamen *Ejusdem* (errorem ſuum corrigentis, atque inſolitis Homerdæ Urinæque viis, ad miraculum usque fabricatis, Mortis periculum amoliri ſatagentis (*providentiâ Vitæ & Valetudini* adeò *non ſemper adverſus* eſt, ut conſiſtere eas ſecum, non dies tantùm, ſed Menſes, imò & Annos pluſculos, ſinat. Quoties vero in Mortem deſinit, vel *ſuffocationis*, vel frequentiùs *Epilepſiæ* & *Spaſmorum* variorum interventu, prævió plerumque (cum Ani atreſiâ abſolvitur) miſerabili *Volvulò*, vitæ filum abrumpere deprehenditur. Aliàs, niſi auxilium Artis maturè accedat, aut Natura aliis vis excernenda emoliatur, *Angoribus variis*, *ſudoribus frigidis*, *torminibus Ventris*, *Ejusdemque* ingenti ut plurimùm *Inflatione* & *Intumeſcentiâ* ſtipatus *comitatusque*, (uti HILDANO *Obſerv.* 73. *Cent.* I., & VOLGNADO *loc. cit.*) apparet.

§. XXIV. Periculum, quod dixi, nulli non (ob individuum ſymptoma, impeditæ tum alvinarum fecum, tum ſeri Urinoſi, ſummè neceſſariæ Excretionis) conjunctum, ex ijs, qvæ in ipſo Diſſertationis hujus principio §. 2. 3. & 4. exhibuimus, nemo non promptè intelligat. Ecquis enim, iſtorum conſcius, non magnum ſibi metum cieri ſentit, rerum malè evaſurarum? Is vero ut ſine auxilii profuturi certâ, aliàs ſpe, aliàs deſperatione ſit, facere poteſt *Memoria*, tum eorum, quibus ſollicitè licet adhibita Manus medica nihil profuit; tum illorum, quibus aut non magnô aut non levi negotiò, attamen ſucceſſu non pœnitendo, eadem admota eſt: Nec non Dictamen Rationis, ad *Differentiam*, quam antehâc vocavi, *primariam* probè attendentis. Quemadmodum enim, hâc ſuppoſitâ, haud difficile eſt judicare, quod (conſtantibus quidem adhuc Infanti viribus) aliquando haud magni adeò laboris res ſit, opem ferre ſic affectis: Nimirùm cum vel Membrana qvædam tenuis, Extremum ſive Inteſtini Recti ſive Meatus Urinarij, aliàs probè confor-

conformati,obſidet; vel, arctiùs qvamvis oppeſſulatô alterutrius exitu, præter convenientem Conformationem, aut Veſtigium quoddam foraminis deficientis, aut Rimula quædam, quantumvis exigua, adeſt: Aliquando majori tum conatu, tum circumſpectione opus ſit: Nimirum cum vel denſior Membrana, neque illa ſimplex, non extremas tantùm Fiſtulæ Inteſtinalis atque Urinariæ Oras, ſed & intimiores receſſus occupat; vel ſolidiorCaro aut Calloſa Cutis, ſine ullô indiciô loci perforandi, ſeſe offert; vel latera alterutrius Canalis profundiùs, aut non ſemel, coaluere; quibus reſpondere interim optatus eventus poſſit, dummodò dictæ Partes qvà cætera rectè habeant, nec vires nimis attritæ ſint: Aliqvando nihil omnino, ingenioſâ quantumvis induſtriâ, profici poſſit: Nimirùm cum plura ſimul Diaphragmata pluresvè coalitus Partis non perforatæ adſunt; cum locum ſitumvè eadem mutat; aut vitioſè conformata, nec ullô foraminis veſtigiô ſignata eſt: Ita idem non falſô Experientiæ teſtimoniô diſcimus, per Exempla paſſim occurrentia, facileque volenti ſuccurſura, ſiquidem ex hactenùs allegatis, fuſiùs deſcripta attentiùs recolat, breviùs recenſita ex ſuis fontibus haurire ſuſtineat. Facientque eorum aliqua fidem etiam facilem cæteris, tum de Duratione, tum de Eventu aſſertis. Speciatim *intutam*, nempe, factâ quantumvis per Artem perforatione, nihilominùs pernicioſam (quamvis & eatenùs intuta haberi poſſit, quatenùs recidivam facit, uti jam indicavimus, & *MERCURIALIS* quoque, Exemplo Vaccæ Perinthiacæ, docet) Affectionem hanc confirmabunt *Obſ. 123. Ann. I., & 50. Ann. II. Dec. III. Ephem. Germ. Cur.* Eædemque & Epilepticis Convulſionibus, & Iliacâ paſſione, terminatam teſtabuntur; quam alioqui Anum imperforatum ferè poſt ſe trahere, tum ab aliis paſſim, tum clariſſimè â *PETRO COSSON, Diſſert. de Ileo, Lugduni Batav. ann. 1669. habita, §. 20.*, his verbis traditum eſt. *Ilii frequentiſſima Cauſa exiſtit Inteſtinorum Obſtructio;*

ctio: Hujus obſtructionis Cauſa, in Infantibus nuper natis, non ſemel viſa fuit craſſa & denſa Membrana, podicem eorum obducens, qua nonnunquam tam profundè Inteſtino recto inhæret, ut oculos omnino fugiat. Aliquando etiam latera ejus ita concreſcunt, ut nullo modo facibus tranſitus concedatur: Cujusve, poſt ſextum decimum demum annum, atreſiæ Ani ſupervenientis, notabile Exemplum eſt apud *BENIVENIUM*, C. 86. *de abditis.* Quo ipsô ſimul ſtabilitur, tum quod de Chronicâ Affectione noſtrâ diximus, tum quod de Providentiâ Naturæ inſinuavimus. Quorum utrumque pariter corroborant Exempla, tum Galli illius, de quo §. 16. ex *Bartholino* & *Panarolo*, tum Virginis Urinam per Umbilicum, alteriusve, eandem per ſedẽ reddentis, de quibus §. 17. ex *Cabrolio*, & 18. ex *Scholiographo Galeni*; tum Puellæ octo ſeptimanarum, à *FURSTIO* in *Reinfels* viſæ; de qua §. 19. dictum eſt; tum alia â *Schenckio* ex *Mercuriali & Joh. Heſſi Obſerv. Lib. 3. Obſ. 258. & Eph. Germ. Cur. Dec. II, Ann. 10. Obſ. 75*, cõſignata. Quæ præter vero, Naturæ admirandos in ſublevandis ſervandisque ejusmodi Infantibus conatus, utut ſæpe fruſtraneos, loquuntur partim ὑποσπαδιαίων (quos ὑποσπάδωνες vocari mavult *CASP. HOFFMANN. Lib. 3. Inſtit. c. 139.*) non rari; partim alii Caſus eorum, qui Homerdam per Penem aut Vulvam, Urinam circa Scrotum aut aliis ex locis inſolitis, reddiderunt. Quales & ſupra adducti ſunt, & plures legi poſſunt, apud *JOH. THOM. MINADOUM Lib. 5. di Extern. Affect. c. 18., BALD. RONSSEUM Ep. 14., GUILHELM. FABRIC. HILDAN. Cent. I. Obſ. 75., HIERONYM. FABRICIUM ab Aquapendente, Oper. Chirurg. C. 88., ZACUT. LUSITANUM Prax. Med. admir. Lib. 3. Obſ. 72., THOM. BARTHOLINUM. Cent. II. Obſ. 63. & NICOL. TULPIUM Obſ. 36. Libr. 4. p. m. 333.* Illis addo ipſius *Excell. Dn. PRÆSIDIS* Experientiam; Quippe qui filiolæ Bibliopegi cujusdam, ante annos aliquot hîc Francofurti natæ, cùm Anum firmiter & ſine notâ ullâ clauſum haberet, liquidas quasdam paucas feces, iteratò, per Muliebre Membrulum

è Vagina prodiiſſe vidit: ſectionemque, â Chirurgo, *Ottone Barfknecht*, jam cœptam &, cum ægrè ſuccederet, poſtridiè continuandam, eâ de causâ, (quæ & *Hieronym. Fabricium* movit, ut Curationem intermitteret) ulteriùs minimè ſuſcipiendam cenſuit; morte quamvis intra paucos dies ſequente. De quâ, quomodo alioqui femellis, Anum ita imperforatis, non tam ſubitò eveniat, quàm Puerulis ſtrictè ſic dictis, vide iterum quæ habet *Volgnadus Schol. cit.* Ubi notabiliter quoque: *Miratu dignum*, ait, *videri, adeò tenella Infantum Corpora tamdiu* quandoque *ſub tormento tam atrocis Morbi durare poſſe*; Uti quidem ſubjectus *Ipſius* Curæ Infans ſeptimum, *Ronſſei* undecimum, *Ledelii* duodecimum, *Garnerii* decimum tertium, *Hildani* decimum ſeptimum diem attigit.

§. XXV. Atque his perſpectis, non eſt, quod magnoperè vel circa *Diagnoſin* Affectionis Marmoreæ, vel circa *Prognoſin*, laborem. Hæc enim quomodo, datô aliquô Caſu, formanda ſit à Medicô, cognitô quidem Affectionis Modô, ex jam dictis haud difficile eſt aſſequi: Eodem verò non ſatis exploratô, incerta omnis & dubia ſit, neceſſe eſt. At vero hujus accuratam habere notitiam, hic labor, hoc opus eſt; quod ne peritiſſimus quidem ſemper præſtiterit: Dum mali conditionem omnem ſenſibus aſſequi ſæpiùs non licet, & Conjecturæ Artificialis fundamenta nulla non fallacia ſunt. Ut fruſtra ſim, ſi docere id Lectorem auſim; non minùs ac ſi magnô conatu informare ipſum velim, quomodo de præſentiâ hujus Affectus certus eſſe poſſit. Neque enim *adeò arduum eſt*, ſcribente iterum *MERCURIALI* l. a., *malum hoc cognoſcere*, (per αὐτοψίαν nimirum, ſive diligentem Partium affectarum Inſpectionem; quam vel Parentum, Obſtetricum, Nutricum aut aliarum, quibus Infans curæ eſt, Perſonarum relatio, vel deficientis in illô, ſive illius, quæ per poſticum fit, ſive iſtius, quæ per anticum contingit, ſive utriusque Excretionis Obſervatio,

aut

aut â Medicô ipſô facta, aut ab aliis accepta, facilè ſollicitat?) *ut valde difficile eſt, illud tutari.*

§. XXVI. Quamvis, quod *Curationem* concernit, non æque ſemper ea (prout ex antedictis diſpaleſcit,) neque eas adeò, quas *MERCURIALIS* affert, quàm illas, quas Prædictionem parilem parere modò dictum eſt, ob Cauſas, difficilis exiſtat; Incerta potius ut plurimùm & dubia, antequam perficiatur, habenda; atque ideò nemini temere citra conditionem & abſolutè promittenda: nec facilè interim cuiquam (niſi rebus, propter Vires jam collapſas & Symptomatum vehementiam, planè deſperatis; aut quoties metus non inanis eſt, Naturæ, pro corrigendo errore ſusceptos, conatus eâ turbatum, aut aliâ ratione majus malum excitatum iri: ſicuti in ejusmodi Caſibus abſtinendum ab illâ non ſemel cenſuiſſe Viros judicio Medico præſtantes, conſtat ex locis aliquot jam allegatis: nempe *FABRIC. HILDAN. Obſ. 75. Cent. I.*, *HIER. FABRIC. ab AQUAP. Oper. Chir. c. 88*) ſimpliciter neganda Hujus verò (quæ juxta indicium jam ſupra §. 6 factum, potiſſimùm, ſi non planè, *Chirurgica eſt*; nihil obſtante, quod *GALENUS 9, ſecund. loc. 6.* Remedia ad eos, qui non ſunt perforati, proponet: quippe quem abſurditatis ideò minimè arguendum eſſe, *Mercurialis* oſtendit:) hæc fere Summa eſt; quam ſolam mihi, fuſiorem ejus Evolutionem inter initia meditant, h. I. adſcribere permittitur.

§. XXVII. Cum *impropria* & *imperfecta* ſive Ani, ſive Urethræ *Imperforatio* curanda venit, præcipuum auxilii momentum in eô ſitum eſt: Ut foraminula nimis anguſta ad juſtam magnitudinem deducantur. Id quod ſolis quandoque Turundis & penicillis, ex materiâ humidum imbibere & hinc intumeſcere aptâ, E. g. ex *rad. althea* aut *gentiana*, aut *ſpongiâ albumine Ovi imbuta, compreſſâ & ſiccatâ*, vel *Sambuci medullâ &c.* paratis, (Quell oder Schwoll-Meiſſel Germani dicunt) congruæ magnitudi-

nis, (quam ſenſim ſenſimque majorem eſſe neceſſe eſt) ritè applicatis, & per Emplaſtra glutinoſa aut ligaturas convenientes, ne loco moveantur, firmatis, effectum dare licet. Interdum, iſtis ad ſcopum non ſufficientibus, ſectione ſimul aliquâ aut fiſione opus eſt: quæ aliàs forficulâ, aliàs cultellô idoneô, præſenti foraminulo admotis, vel ſurſum vel deorſum, vel verſus alterutrum latus, commodè perficitur. Quid? quod, accelerandi negotii ergo, protinùs nonnunquam ad inciſionem devenire juvet; ſubmiſſis deinde, tum dictis, & amplitudini factæ ſciſſuræ vel fiſſuræ convenientibus, tum (foramine juſtæ quantitatis jam obtentô) aliis, nempe deſiccare & Cicatricem inducere (ſive per ſe, ſive per acceſſoria ejusdem Facultatis Medicamenta) valentibus, turundis aut linteis tortilibus, vel *Lemniſcis* (qui quid ſint? ex *Celſi*, meritò hûc conferendi, *c. 28 libr. 7.*, *Ægineta* & *Mercurialis* locis, docere poteſt *Lexicon Med. Caſtello-Brunon. p. m.* 774. Vide verò etiam *TAUBMANNI Comment. ad Plaut. p. m. 843.*) Fiſtulis quin etiam, & Canaliculis, ſivè plumbeis ſivè argenteis, (*Ungv. roſac*, vel *anodyno aliò*, *Oleo* item *Ovorum*, *Momordicæ* aut *Hyperici*, aut ſimili *Digeſtivo*, quod vulgò dicunt, vel Vulnerario Linimento inungendis) inditis: Quibus verò in Ano ſectione apertô, minimè opus eſſe, quod tam ratione Excrementorum, quàm ratione *Salivoſi*, quem vocat, *Humoris*, facilè rurſus coire prohibeatur, *SOLINGENI* ſententia eſt. Ita *JOH. SCULTETUM* Ulmæ aliquando Jacobi Neubrunneri filiôlum, *penicillis ex rad. Gentianæ, Oleo illitis*, liberaſſe ab inſigni Podicis anguſtiâ, jam ſupra *§. 19. circa finem* percepimus. Ejusdemque Radicis; ſcil. turundæ ex eâ paratæ, uſu, nec non (cum creſcente infante hiatus, pro Excrementorum auctorum egeſtione non ſufficeret) ſectione deinde, per Lanceolam, impoſitô priùs Cauteriô actuali, factâ, quomodo Puer Mercatoris Auguſtani, ſine podice Anno 1688. natus, conſilio *D. Luc. Schröckii* Senioris & D.

Georgii

Georgii Tob. Dürrii, ope verò Chirurgi *Benedicti Schieslin* curatus ſit; pluribus traditum eſt *Obſerv. 62. Ann. 7. Dec. II. EPH. GERM. CUR.* Apud *WIERUM* autem *loc.* itidem §. *19 cit.*, Infanti, cui Anus cum exiguò fiſſuræ veſtigiò concreverat, ſepimentum hoc ad juſtam diviſionem diſſecabatur forficulâ; cujus cuſpidem, per dictum, foramen immittendam, priùs abrumpi obtundique, ne læderet acies, oportuit: Deinde exſiccantibus, velut *pulviſculo Roſarum, Bedegvaris, Boli, cum Aluminis uſti momento*, facilè abſoluta eſt Curatio.

§. XXVII. Cum *propria* adeſt & *perfecta* alterutrius Partis atreſia, potiſſimus labor in foramine, ſuo loco atque ita, ut in cavitatem uſque liberam fiſtulæ Inteſtinalis aut Urinariæ penetret, ritè parandô verſatur. Quô factô, ut idem ſufficienter dilatetur & Cicatrice obducatur, cætera eôdem, qui jam traditus eſt, modô fieri convenit. Illud verò paraturus, aliàs nec magnô apparatu, nec multô negotiô nec inſigni cautione; aliàs omnibus iſtis admodùm opus habet. Ita, ad podicem referandum, aliquando Digitus, acutô præſertim Ungve armatus, ſufficit: indicantibus atque, facilitatis cauſa, Obſtetrici hanc operam permittẽtibus, *PAULO AGINETA, ALBUCASI, NIC. FLORENT.* & alijs. Nimirùm *ſi pellicula obſtruens adeò tenuis ſit*, dicente *HIER. FABRICIO Oper. Chirurg. C. 88.*, *ut digito membranam diſrumpere ac foramen parare non difficulter valeat Chirurgus.* Cujus quippe manibus potiùs, *quàm ungvi virulento ignaræ mulierculæ*, committendum hoc negotium ipſe cenſet: melius alioqui exiſtimans, ferrô uti. Qvandoqve Acu fieri perforatio poteſt; ſed vix tali, quali communiter Mulierculæ utuntur; verùm validâ, ferreâ & majuſculâ; primùm acutâ, dein obtuſâ. Quamvis *SCULTETUS l. a. noviſſe ſe* ſcribat *Obſtetricem Patavinam, quæ Anum totaliter occluſum aciculâ communi perforare, & foramen turundis ex Gentiana ampliare ſolita fuerit.* Quod, neſcio, an de eô caſu intelligendum veniat? quando foramen Ani Membranâ præ durâ clauſum

eſt,

eſt; ceu velle videtur *VOLGNADUS*, *Schol. ſup. cit.*: Quin potiùs Inſtrumento ejusmodi vulgari, & facili Chirurgiæ tum demùm locum eſſe dixerim, cum tympani inſtar prætenſa Podici membrana, eaque firma magis quàm craſſa aut dura, obicem homerdæ conſtituit. Confer, quæ de Acus longæ & craſſiusculæ, in aperiendô meatu anteriore glandis Maſculæ, â Nobili adoleſcente Weſtphalo adhibitæ, uſu *WIERUS* habet, *p. 105 Obſerv. Med. rar.*; alia ſimul *de Clauſæ glandis* Curatione ibidem afferens. At verò cum durum ad modum ſeptum eſt, cum Carne aut Cute denſiore, aut utrâque conſtat, tum teliformi quôdam, & pungente ſimul ac ſcindente ferrô, *Gladiolo* ſcilicet, *Lancettâ*, vel *Cultello* aut *Scalpello* alio commodô, quali variô Chirurgi ad alios uſus inſtructi ſunt, præcipuè eô, quô ad Paracenteſin alioqui, & amplianda anguſtiora vulnera utuntur; aut quem tali ferè ſimilem, ad pandendum Muliebrem ſaltum, ſvadet *SOLINGEN*; res expediri & poteſt & poſtulat. Perindeque tum ejusmodi Organorum quorundam, tum *forficularum* idonearum acie, fieri vult Urethræ, membranâ quâdam præcinctæ, Σκαλτένος. Cum autem Coalitus, præſertim profundior, alterutrius meatus adeſt, cum diaphragmate quôdam, vel pluribus illis, interiores eorundem Cavitates intercipiuntur, *Forpicibus* inſuper & *Speculis ſpeculisque*, (quamvis Ani ſpeculum in hâc Operatione non adeò requiri exiſtimet *SOLINGEN*, potiorem Digiti, per vulnus jam factum quaſi terebrando adacti, uſum, in amplificandô foramine, eſſe dictitans) ut & *Fiſtulis*, Inteſtinum rectum atque Urethram munientibus, perque has adigi aptis; tum pungentibus tum (quæ iterum *SOLINGEN* præfert) ſcindentibus ferramentis, nec non *Syringis* (ad abluendos nimirum Lacte tepidô locos perfoſſos) ſimilibusque Inſtrumentis; quin etiam, juxta *MERCURIALEM*, ſubinde *Cauteriis actualibus* (quæ vero & Ætas infantilis, & noſtrates vix admittunt) uti, commodum eſt.

XXVIII.

§. XXVIII. Quomodo vero & qvà cautione ſingula utrique Sexui adhibenda? quâ ratione Infantes ad Operationem commodiſſimè locandi, quâ detinendi, quâ recreandi & demulendi, quave locus inprimis forabilis investigandus? quibus tum, Medicamentis tum Alimentis, peractâ Operatione, providè uti conveniat? Quando recta aut cruciata Sectio facienda? qvo tempore inſtituenda? an ſemel non ſuccedens, repetenda? & quæ alia hîc obſervanda veniunt, explicare hôc locô fuſiùs, nec vacat, nec licet. Eſt enim impoſſibile ferè, certis rem omnem Præceptis et Regulis complecti; multaqve eorum, qvæ in ejusmodi Caſibus agenda veniunt, maturo judicio viri prudentis, circumſtantias omnes probè ponderantis, permittere jubet earundem varietas. Illud tantum adhuc monere placet: Omni, quâ fieri poteſt, diligentiâ inquirendum ſemper, nunquid veſtigium aliquod deſiderati foraminis adſit? Eôque præſente, non aliô, quàm eôpſe, locô adigenda, Inſtrumenta: Sin nullum compareat, non protinùs, quod aliqui volunt, omnem prorſus operam intermittendam; (*Præſtat enim*, quod ipſi ajunt, *anceps remedium, quàm nullum,*) ſed, comparatione ad aliòs Infantes inſtitutâ, eum præcipuè locum ſectione tentandum, quô ſitum eſſe vel Inteſtinum rectum, vel Meatum Urinarium, quàm maximè probabile eſt. De reliquis verò ſi quis pluribus informari, & ὑποσπαδιαίων quoque Curationem, (alioqui ab *AMAT. LUSITANO Cent. 3. Cur. 23.*, & *HAGEDORNIO* nuper *Hiſt. Medico-Phyſic Cent. 1. 68.* etiam indicatam) cognoſcere velit; videre is poterit, tum ad allegatos jam, (nempe *HIERONYM. FABRICIUM ab Aquap., Operat. Chirurg. Cap. 69. & 88.*, *JOHAN. SCULTETUM Armament, Chirurg. Edit. Germ Francofurt., Tab. 40. 43 & 45., p. 148. 171 & 181*, *CORN. SOLINGEN, Edit. Germ. Oper. Chirurg. Part. 3. Cap. 8., ut & 31. & 34.*) tum ad alios Chirurgicarum rerum non incelebres Scriptores. Proderitq; plurimùm, diligentiùs expendere, quæ Obſervationibus

ſive adductis, ſive alibi occurrentibus, circa ſic affectos, à prudentibus Viris, utiliter acta perhibentur. Exempla enim inprimis docent, dirigendisq́ Medici actionibus inſerviunt. Qualia feliciter meâ operâ reſtitutorum Ægrotorum, ut multa in Praxi, deinceps ſuscipiendâ, experiri mihi contingat, faxit Divina Clementia! Cui, quod hactenùs rebus ſtudiisq; meis benignè adſpiraverit, ſit

Laus & Gloria.

